image not available

6 F
5. S. 2

5. 2. 368

Digitized by Google

J. xxx".

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA

SECUNDÆ SYNODI

PROVINCIÆ ULTRAJECTENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA

SECUNDÆ SYNODI

PROVINCIÆ ULTRAJECTENSIS,

In Sacello Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Gertrudis, Ultrajecti, celebratæ:

Die XIII. Septembris M. DCC. LXIII.



ULTRAJECTI,

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

M. DCC. LXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS HISTORIA

ECCLESIÆ ULTRAJECTINÆ,

AB EDITORE CONCINNATA.

I. De Ultrajectenſis Eccleſiæ ſediſque antiquitate. Qualis olim & quàm latè extenſa fuerit; quo tempore in Metropolim erecta, & quibus Suffraganeis.

UNDECIM ferè ſæcula ſunt ex quibus perdurat Eccleſia Ultrajectenſis, à beatiſſimo Willibrordo fundata. Is nempè à Sergio Papa I. conſecratus anno DC. XCVI per totam Friſiam Epiſcopus, Ultrajecti Sedem fixit. Et quidem, cum pallio, Archiepiſcopi etiam nomine fuerat inſignitus; quibus tunc temporis decorari incipiebant magnarum Provinciarum Epiſcopi, nullis licèt Sedibus Epiſcopalibus ſub ſe conſtitutis. Verùm procedente evangelicæ prædicationis ſucceſſu, ita his in locis excrevit gentium ad Chriſti fidem converſarum multitudo; ut tanto oneri impar Willibrordus, quoſdam Epiſcopos ſibi in partem ſollicitudinis ſociandos conſecrare neceſſe habuerit, *regionarios* ſcilicet, nec ulli Sedi ſpecialiter addictos. Quinquaginta annis in Epiſcopatu tranſactis, in Cœlum aſſumptus, ſucceſſorem habuit Sanctum Bonifacium; qui cùm olim Presbiter ſub ipſo per tres annos meruiſſet, & deinde à Zachariâ Pontifice ad Archiepiſcopatum Moguntinum fuiſſet evectus, eo tandem abdicato, Eccleſiam Ultrajectinam ſpecialiter rexit, apoſtolicâ verè ſollicitudine. Unde uterque meritò, ***Willibrordus*** æquè ac ***Bonifacius***, hujus conditores & Apoſtoli paſſim nominantur.

Metropoli Colonienſi ſubjecta poſteà fuiſſe legitur Eccleſia Ultrajectenſis; nuſquam tamen interruptâ Præſulum ſuorum ſucceſſione. Siquidem à Sancto Willibrordo ad uſque tempora Philippi II, Hiſpaniarum Regis, ſexaginta numero computantur (è quibus plures Sanctorum catalogo adſcripti): imò anterioribus illis ſæculis, Juriſ-

Digitized by Google

dictione civili ſimul & eccleſiaſticâ potiebantur Epiſcopi Ultrajectenſes.

Porrò ex illâ temporalis ſpiritualiſque Poteſtatis conjunctione, bella ſubindè exorta ac ingentium turbarum ſeges. Atque hæc inter alias cauſa fuit celeberrimi illius pacti, anno M. D. XXVIII inter Carolum V Imperatorem initi ex unâ parte, & Henricum Bavarum ex alterâ (is quinquageſimus-octavus erat à Willibrordo Epiſcopus Ultrajectenſis); cujus pacti tenore, ſuprema Poteſtas & *omnis temporalitas & Juriſdictio ſæcularis* ab Epiſcopo in Principem Succeſſoreſque ejus, ut Brabantiæ Ducem & Hollandiæ Comitem tranſcripta eſt (1). In ipsâ tranſcriptione expreſſa fuit ſtipulatio, Capitulum Ultrajectinum prærogativas ſuas omnes conſervaturum, non ſolùm quæ juris communis ſunt, ſed etiam *omnia privilegia atque jura quæ illi antehàc à Romanis Regibus & Imperatoribus conceſſa fuerant* (2). His verbis apertè continebatur *jus eligendi & inſtituendi Epiſcopum* (3) juxta Concordata Germaniæ; quibus jam aliundè cautum erat per omnia Eccleſiæ Ultrajectenſi (4).

Nec obſtat quòd eidem Imperatori paulo poſt, in Bullâ Clementis Papæ VII, jus *nominandi* conceſſum eſt; contra pactorum fidem, & ex clauſulâ abſque conſenſu partium quarum præcipuè intererat appoſitâ. Scilicet cùm & ipſa Imperatoria nominatio illum tantùm deſignare deberet qui eſſet à Capitulo *eligendus*, *aſſumendus & præficiendus* (5); ſtetit inconcuſſum ſemper in Capitulo jus eligendi.

Verùm cùm latiſſimè extenderetur temporibus illis Ultrajectina Diœceſis, ad totam ferè regionem illam quæ ſub Provinciarum *Belgii fœderati* nomine hodiè novimus; jamdiu in votis erat ut, juxta antiquam Eccleſiæ praxim mentemque perpetuam, *ob Populorum incrementa*, & *quò faciliùs ſacra curarentur* (6), novi in his Provinciis erigerentur Epiſcopatus. Id tandem, regnante Philippo II, feliciter perfectum eſt per Paulum Papam IV, Bullâ datâ anno M. D. LIX. die 12 Maii. Ultra-

(1) Batavia ſacra, part. 1. p. 240. & ſeqq.
(2) Defenſio Eccleſ. Ultrajectin. p. 279. & 284.
(3) Diploma Conradii apud Willel. Hedam. *Hiſt.* Epiſcoporum Ultraject. p. 164.
(4) Bulla Sixti IV. 13 Jul. an. 1472. *in Defenſ. Eccleſ. Ultraj.* p 271.
(5) Bulla Clementis VII in fine vitæ Lamberti Hortenſii. Apol. ſecunda Epiſc. Babylon. p. 180. 181. Ant. Matthæus de reb. Amisfurt. Batavia ſacra part. 1. p. 244.
(6) Grotius Annal. de rebus Belg. lib. 1. edit. *in-fol.* p. 15. edit. *in*-24. p. 21.

Digitized by Google

jectenſem Sedem in Metropolitanam erexit ; creatis de novo Epiſcopatibus quinque ipſi Suffraganeis (1) : quod totum ejus Succeſſor Pius Papa IV confirmavit. Hæ ſunt novæ Sedes illæ Epiſcopales : Harlemenſis in Hollandiæ Provinciâ, Daventrienſis in Trans-Iſſalaniâ, Leovardienſis in Friſiâ, Groningenſis in Provinciâ ejuſdem nominis, & Middelburgenſis in Zelandiâ. Cumque populoſæ admodum eſſent Provinciæ illæ, quamplurimas unaquæque Diœceſis civitates vicoſque complexa eſt ; Ultrajectina videlicet 300, Harlemenſis 162, Daventrienſis 164, Leovardienſis 272, Groningenſis 214, Middelburgenſis 110.

Unum hoc in exoptatâ illâ novarum Sedium erectione venit conquerendum ; quòd Principibus (quemadmodum & ſuprà Imperatori Carolo V) conceſſa fuerit à Summo Pontifice Epiſcoporum *nominatio*, contra jus non ſolùm Eccleſiis omnibus olim commune, ſed & per Germaniæ Concordata expreſsè ſancitum, in quibus electio generaliter Capitulo Diœceſano totius Cleri nomine reſervabatur. Hoc jure mutato, totidem ambages Eccleſiis invectæ.

II. Concilium Ultrajectenſe primum. Factâ poſthac Belgii confœderatione, quis fuerit Cleri Catholici ſtatus.

II. Nondum ab illâ nova creatione ſex anni effluxerant, quum illuſtr. Fredericus Schenk, è Baronibus à *Toutemburg*, qui in Archiepiſcopum à Philippo II *deſignatus* (2) *debitè* per Capitulum *electus* fuerat, Ultrajecti Concilium indixit anno M. D. LXV. Adfuere Suffraganei ejus omnes, quamvis tres tantummodò ex ipſis fuiſſent conſecrati (3). Nimirùm inſtabat neceſſaria omninò deliberatio de receptione Concilii Tridentini, mox finiti, cujus Decreta à Summo Pontifice publicata præcedenti anno M. D. LXIV, aut, ut loquuntur, *confirmata*, ad omnes Eccleſias vulgabantur. De his ergò actum in primâ quam dicimus Ultrajectenſis Provinciæ Synodo, ſimulque de reſtituendâ diſciplinâ eccleſiaſticâ. *Unanimis Epiſcoporum Prælatorumque conſenſus fuit in Decreta de fide orthodoxâ, Sacramentis eorumque ritibus, & vitæ morumque re-*

(1) Hac eâdem Bulla, Paulus IV Sedem Cameracenſem in Metropolim erexit, cui aſſignavit quatuor Suffraganeos ; Atrebatenſem ſcilicet & Tornacenſem Epiſcopos, cum duobus aliis de novo creatis Audomarenſi & Namurcenſi. Creavit item Archiepiſcopatum Mechlinienſem, eique Suffraganeos addidit recens creatos Antuerpienſem, Gandenſem, Brugenſem, Yprenſem, Boſcoducenſem, & Ruremondenſem Epiſcopos. Batav. ſacra. part. 2. p. 3.

(2) Batavia ſacra. part. 2. p. 11. Hiſt. Epiſcoporum Fœder. Belgii. tom. 1. p. 40. & ſeq.

(3) Bat. ſacra. part. 2. p. 25. col. 1.

Digitized by Google

formatione (1). At à multis è Synodo conteſtatum eſt, & denuntiatione ſolemni in actis relatum, pro conſervatione jurium & privilegiorum Cleri ſecundi Ordinis ; non obſtantibus Decretis quibuſdam in contrarium ſancitis à Concilio Tridentino, & ad meram diſciplinam ſpectantibus.

Obiit Illuſtr. Schenk 25 Aug. anni M. D. LXXX. Nota omnibus & pervulgata eſt, quæ noviſſimè facta fuerat (anno ipſo M. D. LXXIX) ſacrarum civiliumque rerum permutatio.

Hac ſciſſione, interrupta ſucceſſio novorum Epiſcoporum Ultrajectinæ Metropoleos Suffraganeorum. Cùm enim per regionem totam, prohibito Catholicæ Religionis exercitio publico, bona eccleſiaſtica fiſco addicta fuiſſent ; cùmque abjurati & mutati Provinciarum illarum priſtini Domini, quibus conceſſam in ipsâ erectione fuiſſe diximus Epiſcoporum *nominationem ;* conſequens fuit ut à deſignatione illâ, quaſi inutili, prorsùs ceſſaretur : vel etiam, ſi qui adhuc deſignati ſunt, ipſi propriâ conſecratione abſtinuerunt, deficiente plerumque neceſſariâ pecuniæ ſummâ, quâ ſe ſuſtentarent, & annata Summo Pontifici perſolverent, & in Sedium ſuarum poſſeſſionem ex more, impenſiſque ſolitis introducerentur (2). Hinc ergò eſt (neque ullam aliundè cauſam repeti fas ſit) cur à primâ novarum Sedium erectione tam paucis ante annis ad effectum perductâ, duo tantùm numerantur Epiſcopi Harlemenſes, duo item Daventrienſes, & tertius quidem deſignatus, ſed non conſecratus ; Leovardienſes duo ; unus Groningenſis, & duo deſignati ; tres Middelburgenſes, quorum tertius vixit ad annum duntaxat M. D C. XVI.

Aliundè verò tria poſtremarum illarum Diœceſeon Capitula Cathedralia, per Beneficiorum aut etiam Fidei Romanæ deſertionem factam à Canonicis, extincta paulatim fuere. Daventrienſe longiùs, ad annum uſque M. D C. LXV. perduravit ; quo anno ultimus qui illi præerat Decanus, morte ſublatus eſt (3). Harlemenſe ſolùm, abſque ullâ interruptione, ad hodiernum uſque diem extitit & perdurat, cum Metropolitano Ultrajectino.

(1) Ibid. p. 16. Hiſt. Epiſc. Fœd. Belg. t. 1. p. 40.
(2) Hiſt. Epiſc. Fœd. Belg. tom. 2. p. 23. Hiſt. Epiſcop. Daventr. &c. Lindeborn, p. 46. & ſeq.
(3) Lindeborn. p. 34. 38. &c.

Digitized by Google

Superfuit tamen in ſingulis illis Diœceſibus ingens *Paſtorum* numerus; ad quos, celebrandi divini Officii causâ, plus minus liberè, conveniebant Catholici. Vetus quoque ſervatus eſt Ordo hierarchicus, cum variâ Archipresbiteratuum diviſione, &c. Paſtores hi, in ſpiritualibus, Capitulorum Cathedralium Juriſdictioni ſuberant; & quidem propriorum immediatè, quamdiù per rerum naturam licuit, his nondum extinctis; poſtea verò in Ultrajectenſis Archiepiſcopi aut (Sede vacante) Capituli ditionem, juxta canonicas ſanctiones, tranſierunt.

Ad Metropolitanum Capitulum quod attinet, vetus in illo Capituli forma ad annum uſque M. D C. XXXIII ſervata eſt; niſi quòd multorum Canonicorum titulum redditusque ad ſe traxerant Acatholici; imò & interdictum fuerat à Supremo Dominio an. M. D C. XXII, ne in poſterum vacaturam Canonici cujuſlibet dignitatem locumve Catholicus ullus occuparet. Omnes tamen ferè qui priùs Collegio adſcripti fuerant Catholici, redditus ſuos, quamdiu vixere, perceperunt. At brevi res eò deventura erat ut ex eorum morte totius Metropolitani Capituli ſequeretur interitus. Huic fato proſpiciens Illuſt. Rovenius, tertius Ultrajectenſis Archiepiſcopus, id cogitavit animo, & opere executus eſt, ut in hac Eccleſiâ, bonorum licèt temporalium poſſeſſione deſtitutâ, Corpus Cleri *Cardinalis* conſtaret ſemper, & in ſpiritualibus ſaltem, veteris Capituli *juribus* poſſet ſuccedere. Die itaque ſexta Novembris ſupradicti anni M. D C. XXXIII, plures è dignioribus ejuſdem Capituli, ſtante adhuc priſtinâ formâ, Canonicis elegit, alioſque aliunde ipſis ſocios adjunxit, qui Archiepiſcoporum proprium eſſent *Conſilium, perpetuuſque hujus Eccleſiæ Senatus.* Corpus illud ſub diverſo prout ex circumſtantiis deſignari potuit nomine, ad noſtram uſque ætatem perſeverans, ab omnibus omnino Rovenii Succeſſoribus reverenter excultum confirmatumque eſt; nimirum ut *in juribus* (quoad ſpiritualia) *conſervandis auctoritatem haberet ad inſtar Capituli Cathedralis, eodemque loco haberetur quo Capitulum Cathedrale eſt apud Ordinarium* (1).

III. Intereſt jam ut de ipsâ Archiepiſcoporum Ultrajectenſium ſucceſſione pauca delibemus.

III. Series Archiepiſcoporum Ultrajectinorum, uſque ad DD. Petrum *Codde*.

Mortuus erat anno M. D. LXXX, ut ſuprà dictum eſt, *Fredericus*

(1) Broëderſen tract. hiſt. I. de Capitulo Cathed. Eccl. Metrop. Ultraject. p. 323. 331. Hoynck Hiſt. Eccleſ. Ultraj. p. 100. & ſeq.

Schenk; quem primum; creatis novis Sedibus, Metropolitanæ præfectum vidimus. Extincto illo, Archiepiſcopi duo ſucceſſivè nominati, ſed nec confirmati, nec conſecrati, neque in ſuæ Sedis poſſeſſionem venere, neque etiam in his regionibus reſidere auſi ſunt; quorum poſterior, Joannes *Bruheſius*, Coloniæ obiit anno M. D C. die 2 Septembris.

Per hanc viginti annorum vacationem, Capitulo Metropolitano devolutum Juriſdictionis ſpiritualis exercitium; & *Sasboldo Viſmero* præcipuè obtigit adminiſtrationis cura, ex quo ſcilicet *Archiepiſcopalis Sedis vacantis conſtitutus eſt* Vicarius Generalis die prima menſis Maii ann. M. D LXXXIII (1). Eo nomine agnitus ab ipſo Nuntio Colonienſi (2), per ipſum etiam poſteà (anno M. D XCII. die 3 Julii) accepit facultates Summo Pontifici ex jure novo reſervatas; quæ *Vicarii Apoſtolici* nomen & jus ipſi indiderunt (3). Tandem anno M. D C. II Sasboldus creatus Archiepiſcopus Ultrajectinus, facultates illas retinuit; quibus ſimiliter potiti ſunt omnes illius Succeſſores, tanquam aut velamento, aut additamento quodam ſibi propriæ Ordinariorum Juriſdictioni.

Sasboldus Romæ conſecratus eſt die 22 Septembris ejuſdem anni M. D C. II. ſub aſcititio titulo Archiepiſcopi Philippenſis. Et quamvis in Decreto Conſiſtoriali ſcriptum fuerit, *quod non poſſet exercere Pontificalia niſi in Inſulis Hollandiæ & Zelandiæ* (4); ſimul tamen ipſi declaravit Summus Pontifex Clemens VIII, *ſe eum non promovere titulo Eccleſiæ Ultrajectenſis ne Hæret... magis exacerbaret, ſed poſſe eum titulum omni tempore aſſumere cum beneplacito Sereniſſimi Ducis* (5): quod reipsà ſæpiſſimè uſurpatum ab ipſo legitur.

Cum ſanctimoniæ famâ defunctus Sasboldus die 3 Maii ann. M. D C. XIV, ſucceſſorem habuit eodem anno & ſub iiſdem titulis Philippum *Rovenium* (de quo jam ſuprà) *Clero eligente* (6). Verùm ejus inauguratio ſolemnis anno demum M. D C. XX. perfici potuit, die Novembris 8.

(1) Broëderſen tract. hiſt. 1. p. 9. & 230. Defenſio Eccl. Ultraj. p. 306.
(2) Idem. ibid. p. 11. & 12.
(3) Idem. ibid. p. 242. 274.
(4) Hiſt. de rebus Eccleſ. Ultraject. p. 94.
(5) Batavia ſacra part. 2. p. 48. 49.
(6) Relatio Jacob Torrii, apud Hiſtor. *de rebus Eccleſiæ Ultraj.* p. 87.

Datus illi Coadjutor anno M. D. C. XL ex ejuſdem *Cleri electione* (1) Jacobus *de la Torre*, cum Archiepiſcopi Epheſini titulo, ipſi poſthàc mortuo ſucceſſit pleno jure, 11 Octobr. ann. M. D C. LI.

Torrius è vivis ſublatus ann. M. D. C. LXI. die Septemb. 16, Succeſſores habuit Balduinum *Catz* & Joannem *de Neercaſſel* (inter hos enim duos Eccleſiæ totius adminiſtrationem dividi commodius viſum fuerat); hunc Caſtorienſis Epiſcopi, illum Archiepiſcopi Philippenſis nomine occultatos magis quàm inſignitos. Hanc adminiſtrationem illi mutuo inter ſe conſenſu & conſpirante Clero ita partiti ſunt, ut prior *Harlemenſis*, alter *Ultrajectenſis* Diœceſeos curam ſuſciperet. Mortuo verò Illuſt. D. Catz 18 Maii an. M. D C. LXIII, ſolus Neercaſſelius omnes Fœderatarum Provinciarum rexit Eccleſias ad annum uſque M. D C. LXXXVI. quo deceſſit die 16 Junii; vir doctrinæ nomine ſapientiæque ac ſanctitatis opinione æquè venerandus.

Anno M. D C. LXXXVIII. (cùm per biennium deſtituta Paſtore jacuiſſet Eccleſia) præſentatus Innocentio Papæ XI à Capitulis Ultrajectino ſimul & Harlemenſi Petrus *Codde*, qui in mortui locum ſufficeretur, ſub Archiepiſcopi Sebaſteni titulo conſecratus eſt, Batavamque per annos quatuordecim gubernavit Eccleſiam; donec graſſante in ipſum inauditâ, de quâ mox dicemus, perſecutione, ab adminiſtratione ceſſare ſponte ipſe deſtinavit anno M. D. CC. non tamen ab Archiepiſcopali Sede aut dignitate.

Horum omnium Præſulum ſeriem, ſub *Archiepiſcoporum Ultrajectenſium* nomine & titulo reperire eſt apud Hiſtoricos Eccleſiæ Batavæ. Ubi illud annotatur ſedulò obſervandum; quod, quamvis Sedibus ſuis *inthroniſari nequiverint* juxta communem hodiè cæterarum Eccleſiarum uſum, coactique ſæpiùs fuerint Ultrajectenſem titulum alieno Sedis alicujus *in partibus infidelium* deperditæ nomine commutare, non ideo minus erant Epiſcopi Ultrajectenſes proprii, ac Sancti Willibrordi Succeſſores (2).

(1) Ibid. p. 88.

(2) *Willibrord. Boſſchaerts*, Abbas Tongerlonenſis, *Diatriba de primis veteris Friſiæ Apoſtolis*, &c. Mechliniæ, 1650.

Sacra Belgii Chronologia, &c. auctore L. *de Caſtillon*, Epiſ. Brug. Bruxell. 1719. p. 484.

Hiſtoire de D. J. d'Autriche, Amſterd. 1690. p. 161. » Le premier Archevêque » (d'Utrecht) fut Frederic Schenk; le dernier, du moins quant à la Juriſdiction, P. » Codde «.

Digitized by Google

IV.
Jeſuitarum in Illuſt. Petrum Codde perſecutio ; & Curiæ Romanæ adverſus illum proceſſus.

IV. Dùm Coddæus Ultrajectinam Eccleſiam regeret*, Paſtori ſimul & gregi perniciem minata eſt ſæviſſima tempeſtas ; cujus haud ſcio an ullum in totâ Annalium Eccleſiaſticorum ſerie exemplum reperiri queat. Res altiùs repetenda.

Ex quo in Belgium irrepſerant anno M. D. XCII. ſubdoli illi , qui ſe *Jeſuitas* dicunt , Religioſi ; variis modis Ultrajectinæ Eccleſiæ Clerum vexare nunquam deſtiterunt , ſive in odium ſanæ doctrinæ cujus tenaciſſimus erat , ſive potiùs ut ſubverſo illic omni ordine hierarchico ſoli ipſi dominarentur. Nimirum unanimiter conſpiraverant , in Eccleſiâ Batavâ omnem omninò auctoritatem declinare , Epiſcopatum extinguere funditùs , nullum , qui *ordinarius* eſſet , *Sacerdotem ad miniſteria* animarum Sacramentorumque *admittere* (1) , *nullius pati imperium* , *neque* ullum *ferre Eccleſiæ ordinem*. Quinimò jactabant , *impoſſibile eſſe* ullam *in illis locis ſervare diſciplinam* (2) *aut ordinem eccleſiaſticum* , *nec eſſe illic Paſtores niſi fictitios* (3) , &c. Ex his Jeſuitarum artibus plurima jam oriri cœperant ſcandala : verùm antè ſæculi quod decurrimus initium , nondum illos ita prævalere contigerat , ut contrà Epiſcopatûs aut Cleri hierarchici exiſtentiam auctoritatemque potuerint quidquam perficere. Teſtantur ipſi auctores adverſariis haud recuſandi , in adumbrato illo Eccleſiæ Batavæ uſque ad XVIII ſæculum ſpecimine : *Florentiſſimus erat* , inquiunt , *Fœderati Belgii Eccleſiarum ſtatus .... Mutuâ inter ſe concordiâ & pace floruerant ; & pietate ac ſanctitate primorum Eccleſiæ ſæculorum imaginem præ ſe tulerant* (4).

At ſub finem anni M. D. CC , Clemente Papâ XI in Sedem Apoſtolicam evecto , certa ſpes Jeſuitis illuxit propoſitum olim ſuum exequendi ; nimirùm Eccleſias Batavas in *nudam miſſionem* vertendo , Paſtoreſque earum omnes in *Miſſionarios* qui ad nutum amoverentur , ſub immediatâ Romanæ Congregationis , quæ *de propagandâ fide* dicitur , juriſdictione. Quo facilè eveniret, ut propriis Paſtoribus expulſis cunc-

D. Molina , *Rooms Catholyken Mondſtopper* , &c. aut *Compendium controverſiarum* ; &c. edit. *in*-12. *Lovanii* , apud Nicol. Braau , cap. 68. ubi refert ſeriem Epiſcoporum Ultrajectenſium poſito P. Codde ſub n. 70.

(1) Epiſt. *Sasboldi* ad *Janſon* , 9 Maii 1611. *Broëderſen* tract. 5. *de actis Jeſuitarum in Fœd. Belgio*. Epiſt. Arch. Ultraj. ad Bened. XIV. 13. Feb. 1758.

(2) Epiſt. *Sasboldi* ad *Gravium* 5. Octob. 1613.

(3) Epiſt. *Rovenii* ad Archiep. Mechlin. in *Hiſt. Eccl. Ultraj.* D. Hoinck p. 107.

(4) Epiſt. *Spinelli* , Internunc. Bruxell. ad Cathol. Fœderati Belgii , 4. Maii 1724. in Hiſt. Eccl. Ultraject. D. Hoinck , p. 168.

tis

tas oves auctoritatemque omnem Jeſuitæ ad ſe adducerent, & ſupremo cum imperio liberè exercerent inſitam ſibi *dominandi in Cleris* cupiditatem.

Cunctis igitur ad libidinem illorum apprimè compoſitis, de repentè in Hollandiâ ſupervenit anno M. D CC. II, menſe Junio, Breve quoddam ſub nomine Summi Pontificis datum die 13 Maii. Inſcriptum erat *Theodoro de Cock*, Paſtori Leydæ, qui (utpotè totus in Jeſuitas homo) palàm Coddæo adverſabatur, præcipuiſque ejus cooperatoribus. Et tamen hæc legebatur Reſcripti ſumma, ut Illuſt. P. Codde *ab omni exercitio & adminiſtratione regiminis ſuſpenſus* fieret; Theodorus verò de Cock *in ejus locum conſtitutus.* Cauſam ſi quæras, nullam aliam exprimit Summus Pontifex quàm *noſtrum* (inquit) *& Sanctæ Sedis beneplacitum.* Quaſi verò unum idemque ſit Sancta & Apoſtolica Sedes, cum perſonâ ſolâ aut arbitrariâ voluntate Pontificis qui illam occupat.

A duobus circiter annis tunc verſabatur Romæ Coddæus; ſpecie quâdam urbanitatis, occaſione Jubilæi invitatus, ſed ſubdolè, & reverâ ut Romæ detentus ſuâ faciliùs inſciuſque ſpoliaretur dignitate (1). Per Breve itaque ſupradictum, nullo judiciario ordine, nullo accuſatore coram ſtante, nullo teſte, imò totius Cleri ſui teſtimoniis honorificè expurgatus (2) ſi quæ erant adverſus ipſum criminationes (præcipuè circa dogmata quædam quæ Jeſuitis exoſa fuere ſemper), ſubitâ ſuſpenſione damnatur. Quin & ipſa Cardinalium major pars quibus commiſſum fuerat rei examen, palam declaraverant nullius momenti eſſe contextas clanculùm & contra ordinem juris in Coddæum accuſationes, Archiepiſcopumque ad Eccleſiam ſuam quantociùs dimittendum (3).

His tamen accuſationibus, re confectâ, aliquod veluti pondus addere tentaverunt Romani Inquiſitores per Decretum biennio poſt promulgatum, anno ſcilicet M. D CC. IV. die Maii ſeptima; ubi damnantur Illuſt. Præſulis ſcripta duo, quæ ipſe ante annos tres Romæ *typis cameræ apoſtolicæ* vulgaverat, communi bonorum omnium plauſu, ad diluendas hujuſmodi cavillationes. Scriptis ſub vagâ & indefinitâ cujuſdam *doctrinæ ſuſpectæ & ſingularis* appellatione damnatis, in auctorem acerbiſſimè invehuntur Decreti fabricatores; anſamque inde arripiunt,

(1) *Denuntiatio apologet.* P. Codde p. 22.
(2) *Batavia ſacra*, part. 2. p. 518. col. 2.
Recueil de témoignages en faveur de l'Egliſe Catholique du Clergé des Provinces-Unies, 1763, part. 2.
(3) Ibid. part. 3. p. 89.

quaſi ex novo crimine, ſed omni prorſus neglecto novo examine aut proceſſu, *Petrum Coddæum ab omni* Eccleſiæ Batavæ *regimine penitùs removendi.* Unicam nimirùm æſtimavere juris regulam, quòd Summus Pontifex ad *beneplacitum* poſſet Præſulis iſtius dignitatem, quam ſub ſolo *Vicariatûs Apoſtolici* nomine deſignabant, vel dare, vel revocare.

Tota hæc agendi ratio apud omnes eruditos quotquot in ipsâ Româ degebant, æquitatis amantes, nec partium ſtudio abrepti, juri cuilibet adverſari viſa eſt; præcipuè in virum magnæ Sedis Archiepiſcopum & Nationalis Eccleſiæ Præſidem, quem ſic interdictione primùm mulctari, deinde etiam dignitate ſpoliari, nefas eſſe duxerunt (1). Et certè Decreti nullitatem quis rerum gnarus in dubium revocare audeat? De jure naturali ſimul & divino eſt, neminem abſque juridicâ ſententiâ ſpoliari. Quale porrò in ſupradicto Inquiſitionis Decreto judicium, qualis ſententia! ubi nec legitima in Tribunali poteſtas, cùm juxta Canones antiquos, hodieque in celebrioribus Eccleſiis uſurpatos, nemo Epiſcopus niſi à comparibus Epiſcopis in Synodo Provinciæ ſuæ congregatis debeat judicari (2). Sed nec contra reum quemlibet ferri judicium poteſt, abſque delicto certo & probato, partibus non auditis, nullâ denique ſervatâ juris formâ. Si quid ſibi in contrarium arroget Romanæ Inquiſitionis Tribunal, hoc ipſo omnibus legibus tùm eccleſiaſticis tùm civilibus contraire convincitur.

Hinc paſſim Doctores in jure canonico verſatiſſimi, quorum conſilium in causâ Coddæi requiri placuit, omnes abſque hæſitatione ullâ reſponderunt; poſſe illum nihilominus ſuo munere defungi, omiſsâ etiam appellatione, aut aliâ quâlibet ſolemnitate juris: neque enim appellationi locum eſſe, ubi nulla juridica ſententia eſt (3). Ad Eccleſiæ autem ſuæ ædificationem ac populi inſtructionem, poſſe illum utiquè, ſi liberet, in *Paſtorali Documento* cauſas ſuæ agendi rationis exponere; aut ad ſummum publicâ aliquâ proteſtatione intercedere Decreto adverſus ſe in publicum emanato (4). At verò à paſtoralibus curis abſtinere nedum teneretur, quaſi damnatus aut ſuſpenſus; imò

(1) *Conſult. Jurid. Hiacynth. de Archangelis* fiſcalis Campidoglii & Procuratoris reorum S. Officii, &c. Cauſa Codd. p. 85. *Recueil des Témoignages*, part. 3.

(2) Van-Eſpen part. 3. tit. 3. c. 4. *Procès-Verbaux des Aſſemblées du Clergé de France* de 1645. & 1650. David *Jugement des Evêques*, p. 19.

(3) Van-Eſpen, ſuprà. *Recueil des Témoignages*, &c. part. 3. n. 4.

(4) *Denuntiat. apolog. Archiep. Sebaſt.* p. 40. 41.

ſalvâ conſcientiâ, nequaquam illum commiſſi ſibi gregis regimini renuntiaturum, nonnulli audenter affirmabant (1). Vicit tamen in Coddæo pacis amor, & (ex locorum temporumque circumſtantiis petita, ne quid pejus eveniret) in Romanam Sedem obſervantia; tutiùs exiſtimans, ſi ab omni Archiepiſcopali munere abſtineret *ultrò*: ita tamen ut *à legitimâ ſui honoris & juris, & innocentiæ defenſione* nunquam deſtiterit (2). Illam enimverò defenſionem inſeparabiliter conjunctam vidit habuitque ſemper cum ipſius populi ſui ſalute; ad ſacrorum ſcilicet orthodoxæ fidei dogmatum, ſaluberrimarumque Diſciplinæ eccleſiaſticæ regularum propugnationem & conſervationem, quæ velut *errores perniciosos, damnoſaſque & peſtiferas opiniones*, adverſarii, Paſtore ob hæc ipſa percuſſo & damnato, traducere conabantur (3). In hac conſtanti vitæ ratione perſeverans Coddæus, deceſſit die 18 Decemb. ann. M. D CC. X.

V. Proceſſus adverſariorum in Ultrajectenſe & Harlemenſe Capitula. Schiſma inde ſubortum. Protectione ſupremi Dominii, & Jeſuitarum expulſione, jura ſua Clero conſervantur.

V. Jam ante hunc deceſſum, cùm de facto vacaret Sedes abſtinente Epiſcopo, *Juriſdictio Epiſcopalis, atque Eccleſiæ adminiſtratio ad Capitulum devoluta* fuerat (4). Verùm, cùm ab ipſo Coddæo, decem ante annos Romam proficiſcente, commiſſa fuiſſet ſelectis viris quatuor (ex Ultrajectenſi Harlemenſique Capitulis quæ ſola in Provinciâ ſupererant) ſub *Pro-vicariorum* nomine; huic diſpoſitioni nihil immutandum cenſuerunt ambo Capitula, ſed ratam illam habuerunt, & in quantum opus fuit, renovaverunt.

Hi ſunt ergo quatuor Vicarii generales, quibus, ſtatim ab initio perſecutionis in Archiepiſcopum exortæ, mandaverat Internuncius Bruxellenſis, ut *Theodorum de Cock* tanquam Eccleſiæ Caput agnoſcerent, abſtinerentque (niſi novis ab ipſo Theodoro acceptis facultatibus) *à quâcumque adminiſtratione & regimine iſtius Eccleſiæ* (5). Hi ſunt qui, de utriuſque Capituli conſenſu, ante omnia tempus ſibi dari poſtulaverant; donec à legitimo ſuo Præſule, qui tùm Romæ erat, litteras acciperent, & Summo Pontifici, cujus nomine mandata ſignificabantur, cum omni reverentiâ exponerent manifeſta quæ in illis deprehendeban-

(1) Ibid. p. 117.
(2) Ibid. p. 196. 119. 72. 42.
(3) Ibid. p. 46. 127. 132.
(4) Card. de Luca diſc. 31. in Conc. Trid. n. 1.
(5) Broëderſen, tract. hiſt. 1. p. 378.

Digitized by Google

tur tùm obreptionis tùm ſubreptionis indicia. Ad has petitiones, quantumlibet juſtas, reſponſum eſt per nova mandata prioribus longè acerbiora: ſiquidem *criminoſæ* illæ habitæ ſunt, & *tanquam nota contumaciæ indelebilis* (1). Exiit à Congregatione *de propagandâ fide* Decretum die 13 Februarii ann. M. D CC. III. quo Vicariis Generalibus denuò injungebatur ut ab omni juriſdictionis ſpiritualis exercitio abſtinerent, *ſub pœnâ excommunicationis incurrendæ IPSO FACTO ſine ullâ aliâ declaratione:* comminatoriumque illud Decretum confirmavit Clemens Papa XI per Breve datum 7 Aprilis ejuſd. anni.

Bruxellenſis Internuncius, D. de Buſſy, quem paucis antè menſibus Ultrajectenſe & Harlemenſe Capitulum pluries nuncupaſſe certum eſt *præclara & venerabilia Capitula* (2), repentè mutatus eò devenerat, ut in Epiſtolâ datâ die 25 Januarii præcedentis (3) affirmaret eadem illa penitùs intercidiſſe. Quam Nuntii ſui allegationem, etſi notoriè falſam, & factis æquè ac juri repugnantem, Curia Romana amplexa & proſecuta eſt; quaſi ſibi liberum eſſet, ſub eo prætextu quidlibet in Clerum Batavum decernere. Imò prætenſam illam abolitionem & extinctionem Capitulorum à centum annis & ſuprà contigiſſe, poſtea commenti ſunt hujus Eccleſiæ adverſarii. Atque hoc fuit omnium quæ contra Clerum illum geſta ſunt, veluti fundamentum.

Ex his proceſſibus ſchiſma penè ortum eſt lugendiſſimum. Jeſuitæ ſiquidem aliique ex Religioſis mendicantibus Miſſionarii, Curiæ Romanæ nimiùm ſervientes, juriſdictionem antiqui Cleri declinare cœperunt; imò in divinis communicare cum illo abnuerunt, reluctante licèt & à præſcindendâ unitate prorſus alieno; & *Theodorum de Cock* pro Vicario Apoſtolico ſe gerentem, tanquam ſolum Eccleſiæ Batavæ Superiorem legitimum ubique prædicarunt. Miſſionarii illi, primùm in hanc Eccleſiam adrepſerant quaſi in Paſtorum ſubſidium; deinde multiplicati admodum & paſtoralia uſurpare aggreſſi, in tantum excreverant, ut ſæculi decurrentis initio ſtationes aut Parochias pluſquam centum ſoli adminiſtrarent; ubi oves quamplurimas congregabant, callidè & fraudulenter ad ſe adductas. Ex his porrò ſtationibus, ſeptem ſupra quadraginta in Jeſuitarum devenerant ditionem. At occaſione ſuborti ſchiſ-

(1) Idem. ibid. p. 363. 377.
(2) Idem. ibid. p. 360. 361.
(3) Idem. ibid. p. 389.

matis multò plures à propriis Paſtoribus ſubtractæ ; quin & Paſtores quidam ſæculares, luporum illorum artibus inſtigationibuſve decepti, deceptoreſque aliorum facti, ſeipſos à Confratribus ſuis, ordinariiſque Superioribus ſegregarunt. Unde ſubſecuta eſt rerum perturbatio non minima.

Sedandis hujuſmodi motibus auctoritatem ſuam interponere neceſſarium duxerunt ſupremi Reipublicæ ordines, ne quid publicæ tranquillitati officeret. Sed & antiqui Cleri membra in jurium ſuorum poſſeſſione ſervari debere, humaniter illis viſum eſt; & contra omne perſecutionis oppreſſioniſve genus ita protegi, ut ne quid in Catholicos Bataviæ ſubditos Curia Romana exerceret arbitrariæ illius poteſtatis qualem nuſquam paterentur ipſi Principes Romano-Catholici. Publico igitur Edicto ſtatim à die 17 menſis Auguſti anni M. D. CC II, interdictum fuerat *Theodoro de Cock* ne *Vicariatum* ſuum Apoſtolicum *aliquo modo exerceret ;* & cuilibet alteri perſonæ, *ne illum in dictâ qualitate agnoſceret aut ei obediret* (1). Hoc eodem Edicto generaliter præſcribitur *quòd nullus Vicarius* (aut Superior Eccleſiaſticus) *agnoſci poterit, niſi qui ſecundùm modum in his Provinciis uſitatum debitè* (à Clero) *fuerit electus, & per Dominos Conſiliarios, Deputatos noſtros* (inquiunt) *admiſſus.* Renovatum eſt identidem præſcriptum illud, quoties Curia Romana Provinciarum harum Vicarios Apoſtolicos deſignare voluit abſquè antiqui Cleri Batavi conſenſu (2).

Cùmque Magiſtratus Supremos latere non poſſent præcipui tumultuum auctores Jeſuitæ, ſæpiùs illis exilium minati ſunt, nî quies Catholicis ablata brevi redderetur (3). Ubi verò repetitis comminationibus nihil promoveri patuit, perpetuo exilio pœna ſancita eſt in ipſos per Decretum à Supremis Hollandiæ & Weſtfriſiæ Dominis datum die 19 Julii anni M. D CC. VIII; quæ, utpotè juſtiſſima, in generalibus Provinciarum Comitiis renovata eſt Maii die 7. anni M. D CC. XX. & iterum à ſupradictis Dominis Hollandiæ & Weſtfriſiæ, ejuſdem menſis die 25. Atque utinam his Decretis ad executionem procedentibus, penitùs exturbata fuiſſet à toto Bataviæ dominatu peſtifera illa Eccleſiis ſoboles!

(1) Vide in *Hiſt. de reb. Eccleſ. Ultraj.* hoc Edictum Suprem. Dominorum Holl. & Weſtfr. 17. Aug. 1702.

(2) Vid. Edicta *eorumd.* 26. April. 1709. & 3. Maii 1718. Item Statut. Ultraj. Feb. 1720.

(3) Vid. Reſolut. dier. 24. Feb. 1703. 25. Mart. & 30. Jul. 1705. ac 18. Feb. 1708.

V I.
Cleri defenſiones appellationeſque, & animi moderatio eximia. Quibus tandem motivis ad exequendum jus ſuum fuerit impulſus.

VI. Antiquus intereà (qui & verus erat) Eccleſiæ Batavæ Clerus, cùm per ſupplicationes vel humillimas nihil quidquam proficeret, ut in ſuâ defenſione audiretur, *ad Summum Pontificem meliùs conſultum* appellavit ipſo anno M. D CC. III. die 6 Martii (1).

Varias poſthac declarationes & proteſtationes, ſubindè in lucem protulit (2) contra pœnas illas, aùt potiùs minas excommunicationis *ipſo facto* ſibi paſſim illatas; quas *anathemata* vocabant adverſarii, ut totum illum quaſi *manifeſtè ſchiſmaticum* infamarent: dum ipſe palam apertiſſima non ſemel edidiſſet, ederetque ſæpiùs profeſſionis ſuæ teſtimonia, quâ & omnibus fidei catholicæ dogmatibus, & Apoſtolicæ Sedi tanquam unitatis Catholicæ centro inviolabiliter addictum ſe demonſtrare non deſtitit. Veras nempè ac ſanctiſſimas Succeſſoris B. Petri prærogativas ſedulò diſtinguebat à novis illis *Curiæ Romanæ* (ut vocant) *prætenſionibus*, quas tot ac tanti quotidie Catholici oppugnant, non ſolùm ſalvâ fide & unitate, verùm etiam ad ipſius Sanctæ Sedis honorem vindicandum. Anno denique M. D CC. XIX. die 9 Maii *ad futurum generale Concilium* appellavit Clerus ab omnibus & ſingulis gravaminibus, quæ per acta quælibet aut juribus ſuis aut ſanæ doctrinæ præjudicium aliquod inferre potuiſſent. Legitimæ appellationes illæ, additâ inſuper Supremi Provinciarum Dominii protectione, Romanæ Curiæ Decretorum effectus omnes (etiamſi judiciali aliquâ formâ prolata fuiſſent) procul dubio ſuſpendere debuerunt.

In ipſâ interim Eccleſiæ ſuæ gubernatione, Capitulum Ultrajectinum cum Harlemenſi & antiquo Cleri corpore conjunctum, id ſibi primùm unicè propoſuerat ut pacificè grex fidelis regeretur; quibuſdam duntaxat pro tuendo jure ſuo innocentiaque manifeſtandâ, prout neceſſe fuit, ſcriptis publicatis. Imò per aliquot annos ex animi moderatione, quæ multis nimia viſa eſt, abſtinuit ab inſtituendis cum titulo Paſtoribus, ſi quæ Parochia vacaret, à conceſſione litterarum dimiſſoriarum ad ſacros ordines, &c. ſatis exiſtimans Presbiteros idoneos, quamdiu licuit, in defunctorum Paſtorum locum Vicarios aut Vice-gerentes ſubſtituere. Verùm ſæpius eveniebat ut per ſubreptionem, per vim, aut

(1) Broëderſen, tract. 1. p. 395.

(2) Vide librum cui titulus: *Recueil des Témoignages*, &c. part. 2.

(3) *Motivum juris Capitul. Harlem.* &c. *Aſſertio juris Capit. Ultraj.* &c. *Proteſtatio Cleri Rom.-Catholici*, &c. *Belgii Fæder. aſſerta : denuò aſſerta : tertiùm aſſerta.*

aliâ iniquâ ratione, ſtationes vacantes protinùs occuparent adverſarii; intruſis in illas devotis ſibi per omnia Presbiteris ſive ſæcularibus, ſive regularibus, quos & defectus ſcientiæ & ſuſpecti mores, & doctrina perverſa aut laxior, & opiniones contra legitimam quæ Poteſtatibus temporalibus debetur obedientiam longiùs à ſacro miniſterio removere debuiſſent. Unum illis ferè omnibus pro merito cedebat, quod opinionibus, quæ *Ultramontanæ* dicuntur, inſtituti, cæcam devoverent potentiæ Romani Pontificis quaſi illimitatæ ſubjectionem.

His attentè pièque conſideratis Ultrajectenſe Capitulum, poſtquàm, mortuo Illuſt. Coddæo, fruſtrà omnia enixè tentaverat ut ſibi alius præficeretur Epiſcopus; tandem propriæ ſuæ juriſdictioni liberiùs exercendæ intendere cœpit, tuendiſque validiùs Eccleſiæ ſuæ juribus & privilegiis. Ingentiores illi animos ſubminiſtravit ipſa neceſſitas, & rerum deinde ſubſecutarum anguſtia: maximè cùm brevi poſt tempore debilitari ac labare vidiſſet, quod priùs ſibi arctiſſimè conjunctum fuerat, Harlemenſe Capitulum, ceſſantibus ab omni juriſdictionis exercitio Vicariis ejus generalibus; ita ut paulatim in ditionem & arbitrium Nunciorum Romani Pontificis tranſierit, qui in vicinorum Principum aulâ degentes, immediatam hujus Eccleſiæ juriſdictionem uſurpaverant; quaſi non alios illa deberet aut poſſet habere ſuperiores (1). Cauſa Eccleſiæ Ultrajectenſis eo major ac neceſſaria magis viſa eſt; præſertim, cùm ex officio & ſub jurisjurandi religione tenerentur ſingula hujus Capituli Membra ad defenſionem jurium illorum quæ Ordinariis competunt, & quorum conſervatio indiſſolubiliter cohærere videbatur evangelicis etiam dogmatibus & præceptis, ex quibus pendet ipſa Fidelium ſalus. Occurrendum prorsùs erat, ne tota rueret Eccleſia Batava, lupiſque aut mercenariis traderetur.

Hæc igitur prima cogitatio, hoc primum conſilium fuit, providere ſibi Sacerdotes doctrinæ morumque laude commendatos; ab extraneis quidem Epiſcopis (cùm proprios habere non liceret) ordinandos in hujus Eccleſiæ miniſterium, ſed à Capitulo probatos & litteris ab eo *dimiſſoriis* inſtructos. Atque ut id faciliùs obtineret, quum nota fierent

(1) Hinc magnâ ex parte mutata eſt Eccleſiæ Harlemenſis forma priſtina; quamvis ad hodiernum uſque tempus, Capituli ſui titulos, ſucceſſionemque Decanorum & Canonicorum retinuerit.

Vide Epiſtolam ducentorum & quinquaginta aut circiter Presbiterorum in his Provinciis degentium, ad Cardinalem Valenti, anno 1753 ſcriptam.

omnibus Ultrajectenſis Eccleſiæ cauſa & jura, Conſultationes adhibitæ ſunt infinitorum propè numero Theologorum ſimul & Juris Canonici peritiſſimorum ex celebrioribus Eccleſiæ Catholicæ Univerſitatibus (1). Quibus perlectis Hibernus quidam Epiſcopus primùm, poſtea Archiepiſcopus Dublinenſis factus, tum nonnulli Galliæ Epiſcopi (2), multos ſic à *Capitulo ritè dimiſſos* ſacris Ordinibus initiarunt : quod maximo fuit Eccleſiæ Ultrajectinæ ſubſidio.

VII. Electus tandem Archiepiſcopus Ultrajectenſis, conſecratur; & ab ejus ſucceſſore noviſſimo, duo ex antiquis ſibi Suffraganeis ordinantur Epiſcopi.

VII. At neque in perpetuum neque in totum hujus Eccleſiæ neceſſitatibus id ſubvenire poterat; imò temporariè duntaxat, & ex parte (ſi dicere fas ſit) minimâ : ni proprius tandem, juxta formam à Chriſto Apoſtoliſque præſcriptam, & in cæteris omnibus chriſtianis regionibus perpetuò ſervatam, imò juxta priſtinum hujuſdem ipſius Eccleſiæ morem, non ita pridem violenter ac de facto interruptum, ordinaretur Epiſcopus.

Hanc veluti gratiam pluries efflagitavit ab Innocentio Papa XIII Ultrajectenſe Capitulum, miſſis ad eum inſtantioribus litteris, votiſque ardentiſſimis. Sed nec verbum quidem à Curia Romana reſponſum.

Igitur anno M. D CC. XXIII, exquiſito rursùs & adhibito conſilio Prælatorum & Theologorum, aliorumque plurimorum ex variis Europæ partibus, qui in Jure tùm Canonico tùm Civili erant verſatiſſimi (3); Decretum à Capitulo eſt ut, communibus omnium de gremio ſuffragiis, Archiepiſcopus eligeretur ex prærogativâ juris ſibi antiquitùs competentis, nec ullâ unquam legitimâ viâ præſcripti. Vota conſenſerunt in unum ex ſenioribus hujus Eccleſiæ Paſtoribus D. Steenoven, multis quidem dotibus commendatiſſimum ; ſed inſuper in ipſâ Româ olim Collegii *Propagandæ fidei* alumnum, & poſtea SAPIENTIÆ Doctoris titulo decoratum : quo ſpes erat ut & Curiæ Romanæ acceptior foret, & illius confirmatio benigniùs impetraretur. Per menſes decem & octo continuos petitâ illâ, & conſtanter recuſatâ, electus Archiepiſcopus tandem conſecratus eſt die 15 Octobris an. M. D CC. XXIV. ab Illuſtriſ-

(1) Vide has Conſultationes in libro cui titulus : *Recueil des Temoignages*, &c. ſcilicet judicia variorum Theologorum & Juriſperitorum Galliæ ann. 1715. 1716. Facultatis Canonicæ Lovanienſis anni 1717. & pluſquam centum Theologorum Facultatis Theolog. & totius Facultatis Jurium Univerſitatis Pariſ. ann. 1717. 1718. &c.

(2) Epiſcopus Bajocenſis [D. de Lorraine] cum licentiâ Eminent. Cardin. de Noailles Pariſ. Archiepiſcopi. Epiſcopus Bleſenſis [D. de Caumartin]. Epiſcopus Senecenſis [D. Soanen], &c.

(3) Vide lucubrationem cui titulus : *Recueil des Temoignages*, &c. part. 5.

ſimo

ſimo DD. *Varlet*, Epiſcopo Babylonienſi, qui ad has oras non ſine quodam divinæ Providentiæ inſtinctu aſportatus fuerat. Inſtanter ille à Clero ſollicitatus, complurium Prælatorum & Theologorum Juriſque peritorum ſententiâ adjutus, & de jure ac neceſſitate certior factus (1), ſervatis, in quantum fieri potuit, uſitatis de jure & de facto ſolemnibus ac formulis, tantum negotium confecit.

Cornelio *Steenoven* brevi ſublato, ſucceſſit Cornelius-Joannes *Barchman Wuytiers* die 30 Septembris anni M. D CC. XXV conſecratus; qui & ipſe ſucceſſorem habuit *Theodorum Van-der-Croon*, conſecratum anno M. D CC. XXXIV. die Octobris 28: & poſt illum *Petrus-Joannes Meindarts* die 18 Octob. anni M. D CC. XXXIX. conſecratus eſt. Omnes hi à prælaudato Illuſt. D. Babylonienſi Epiſcopo inaugurati.

Diem ultimum cùm & hic clauſiſſet anno M. D CC. XLII. die 14 Maii; ſuperſtes in his Provinciis ſolus Epiſcopus D. *Meindarts*, Eccleſiam ſuam in eo eſſe prævidit ſtatim, ut, deficiente Epiſcopali caractere, ad priſtinum calamitatis turbarumque ſtatum deſolanda recideret. Itaque initum jam anno M. D CC. XXVI propoſitum, fortiter conſummare aggreſſus; quod omnino neceſſarium eſſe multi melioris notæ Doctores judicaverant (2), & multò plures exequendum urgebant; *Hieronymum de Bock* ſub titulo Epiſcopi Harlemenſis, qui primus erat Eccleſiæ Metropolitanæ Suffraganeus, conſecravit die ſecunda Septembris ejuſdem anni M. D CC. XLII, & illi mortuo *Joannem-Petrum Van-Stiphout*, qui etiam nunc Sedem Harlemenſem occupat, ſucceſſorem dedit.

Idem Archiepiſcopus noviſſimè, anno M. D CC. LVIII. die 25 Januarii, *Bartholomæum-Joannem Byeveld* ſacravit Epiſcopum Daventrienſem, Suffraganeum ſuæ Metropoleos ex antiquâ creatione ſecundum. Epiſcopi, Theologi complures, celebrioreſque Juriſperiti, quorum conſilio id perfecit, ſic cenſebant, poſſe illum eodem modo, & debere ſi per tempora liceret, omnibus ejuſdem creationis Sedibus vacantibus proſpicere, ne in poſterum legitimo Paſtore deſtituerentur (3).

(1) Ibid. part. 4.
(2) Ibid. part. 6.
(3) Ibid. part. 7.

VIII. Nullitas cenſurarum quæ à Curiæ Romanæ Miniſtris, occaſione illâ ſubreptæ fuerunt.

VIII. In his omnibus quæ de Archiepiſcopi electione & Suffraganeorum ab ipſo factâ conſecratione mox dicta ſunt, vix credibile eſt quanto ſedulitatis officio, quantæ reverentiæ teſtimoniis Clerus omnis Summum Pontificem proſecutus fuerit; in ſanctæ unionis quæ primæ Sedi ſecundùm doctrinam catholicam debetur, argumentum; imò etiam in ſignum ſubjectionis humillimæ.

At præjudicatis opinionibus irretita & adverſariorum Eccleſiæ Batavæ capta fallaciis Romana Curia, nuſquam flecti potuit ut iterata illa obſequii teſtimonia grata ſibi haberentur. Quoties novi Epiſcopi electio aut conſecratio facta eſt; toties adjuratum eſt non ſemel per litteras ad Summi Pontificis pedes provolutas ſive à Clero, ſive ab ipſis Epiſcopis, nihil à ſe in toto negotio factum, nihil omiſſum, quo ſumma in Sedem Apoſtolicam obſervantia lædi poſſet vel minimè. Verùm obſtantibus uſquequaque Jeſuitis, aut potius propellentibus, toties erupere informia Brevia ad Catholicos Fœderati Belgii; ut omnem Epiſcoporum illorum auctoritatem, naturalem quamvis & legitimam, & tanquam ſuis immediatè Superioribus quoad ſpiritualia competentem, omninò detrectarent. Abſit porrò ut à ſanctiſſimâ B. Petri Sede, ne ullum quidem ex illis Brevibus dicatur proceſſiſſe! Tot & tanta in omnibus ac ſingulis ſcaturiunt obreptionis ſubreptioniſque argumenta, tot juris & facti errores intolerabiles, tot nullitatis vitiis laborant per omnia, ut in illis fabricandis circumventioni & fraudi locum fuiſſe apertiſſimè demonſtretur.

Sed & comminatorias quæ in illis fulminantur excommunicationes *ipſo facto*, de mero ſtilo procedere quis neſciat? Quæ cujus ſint ponderis, nec ipſi Curiæ Romanæ ignorare hodie licitum eſt. Quales nempe in Bullis *Cœnæ Domini*, contra quodlibet hominum genus ita paſſim aggerantur ut neminem ſeriant: aut ſi effectum aliquem ſortiri poſſint, ab unitate Sanctæ Sedis penitùs avulſos dici debeat Catholicos innumeros, ex Judicum præſertim & Magiſtratuum politicorum ordine, cum quibus tamen abſque cunctatione ullâ Sedes Romana communicat in cunctis per totum orbem chriſtianum regnis; adde & univerſos regnorum illorum Principes, ipſos etiam quos Summus Pontifex ultrò agnoſcit ut ſuos & Eccleſiæ primogenitos.

Nihil contrà oppoſuerunt Eccleſiæ Batavæ Epiſcopi, præter defenſiones legitimas & debitam ubique reverentiam ſpirantes; canonicas ad generale Concilium, aut aliud quodlibet Tribunal competens, appellationes; & novas iteratasque declarationes, quibus ſe Eccleſiæ Catholicæ & communioni & fidei inviolabiliter adhærere profeſſi ſunt. Simulque communionis illius ſigna, quanto potuere ſtudio, ex omnibus Eccleſiæ partibus, ad ſolatium & robur ſuum conquirentes; ſedulò collegerunt ea quæ ſibi undequaque, & vel in ipſo maximarum anguſtiarum tempore, conceſſa ſunt benevolentiæ & unitatis teſtimonia. Vulgata illa fuere, & à compluribus data reperies S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Univerſitatibus, Facultatum Theologiæ aut Juris Doctoribus; ab Eccleſiarum ſive Cathedralium ſive Collegiatarum Capitulis, Dignitatibus & Canonicis; à Parochis, Abbatibus, Regularium aut Eccleſiaſticarum domorum præpoſitis; à Magiſtratibus denique & Juriſperitis, aliiſque omnium ordinum viris ſpectatiſſimis (1). Quæ omnia quaſi totidem indicia ſunt & vincula intimæ illius conjunctionis quam habet Eccleſia Batava, ſervabitque ſemper, cum omnibus ubique Eccleſiæ Catholicæ membris. Indè verò & ipſi Sanctæ Apoſtolicæque Sedi unitam ſe meritò gloriatur: de cætero expectans & ardentiſſimè expetens ut qui in illâ inſidet communis Fidelium Pater, exteriora ſibi & immediata caritatis ſuæ ſingularis ſigna aliqua exhibere velit, quibus ſe huc uſque privatam non ſine magno dolore poteſt intueri.

IX. Supremi Provinciarum Dominii protectio in Eccleſiam Batavam, utpote ex cujus hierarchico regimine nil gravari poſſit Reſpublica.

IX. Solatio quoque non minimo ſublevatus eſt Clerus ille Catholicus; dum legitima quæcunque tentavit & proſecutus eſt media ad retinendam priſtinæ ſuæ adminiſtrationis formam, benignis oculis conſoverunt Supremi harum Provinciarum Domini. Et certè forma illa cæteris omnibus Eccleſiis communis, & ex ipſâ inſtitutione divinâ pendens, non ſolùm nativæ conditioni hominum in chriſtianâ ſocietate degentium, verùm ipſi rerum publicarum utilitati longè conducibilior eſt

(1) Vide hanc teſtimoniorum collectionem typis mandatam Ultrajecti apud Guillelmum Wanderveyde ann. 1763. ſub hoc titulo: *Recueil des divers témoignages, &c. en faveur de la catholicité & de la légitimité des droits du Clergé Catholique, &c. des Provinces-Unies*, in-4°.

Digitized by Google

quàm immediatum quod ſibi Curia Romana in hanc Eccleſiam competere volebat juriſdiƈtionis exercitium. Natura hierarchici regiminis, quale in Eccleſiâ Batavâ temperatur & pacificè cuſtoditur, nuſquam civili Provinciarum Dominio gravior eſſe poteſt, quàm Romanis Imperatoribus inimica æſtimari debuit aurea illa Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtratio quæ prioribus obtinebat Eccleſiæ ſæculis. Ecquid enim Poteſtatibus Sæcularibus, non dico metuendum, ſed ingratum eſſe queat in eccleſiaſticâ Batavorum Catholicorum gubernatione ? ubi Epiſcopi nullam niſi quæ merè ſpiritualis ſit, poteſtatem ambientes, totam illam in id unum impendere ſatagunt, ut veri Chriſtiani efficiantur, ut fideles ſubditi : Ubi lex ſumma eſt ſedulò diſtinguere & colere Poteſtates duas quibus totus hic mundus regitur, ab ipſo Deo æqualiter inſtitutas, & objeƈtis finibuſque propriis omnimodè diverſas, eccleſiaſticam nempè & civilem ; quarum neutra ab altera pendeat, nec alterius fines invadere poſſit : Ubi proinde legitimam quæ Poteſtatibus ſæcularibus, ut à Deo ordinatis, debetur obedientiam, palam adſtruere verbo & exemplo Paſtores aſſiduè laborant, nec in ullo à gregibus ſibi commiſſis violari patiuntur, tanquam non minùs ſacratam Evangelii lege, quàm naturali jure præſcriptam.

Supremi autem Fœderatarum Provinciarum Moderatores, qui permiſſâ ſingulis ſibi ſubditis libertate conſcientiæ, Religionis Romano-Catholicæ profeſſionem intra ſui Dominii fines tolerari voluerunt ; conſequenter etiam paſſi ſunt, æquitate diƈtante, ut regimini eccleſiaſtico conveniens aut neceſſaria diſciplinæ forma ab hujus Religionis Paſtoribus ſervaretur. Nequaquam igitur obſtitere quominus, ſi quid ipſis in paſcendo grege, ad tuendum, ſtabiliendumque privatum ordinem, ſpiritualiter expedire viſum eſt, exitum ſuum ſortiri poſſet ; & ad illum aſſequendum adhiberentur media, evangelicæ rationi Patrumque regulis conſentanea. Cùm porrò ad hanc Fidelium utilitatem nihil aptiùs conducat, quàm Paſtorum inter ſe conſentientium concordia unanimis ſive in docendi modo, ſive in gubernandi ratione ; ſæpè numero convenerunt privatim Cleri catholici membra præcipua, ut inter ſe decernerent de iis quæ communi Fidelium bono & paci congrua viderentur. Atque hoc, utpote regimini publico & civili nullatenus adverſum, nec

de illo quidquam minuens aut uſurpans, benignè ſemper tulerint Supremi Reipublicæ Magiſtratus.

X. At omnium certè negotiorum quæ in his Cleri Conventibus agitari potuerunt, nullum gravius unquam, nullum religioni, ſocietati, moribus, utilitati publicæ conducentius extitit, ad honorem fidei Romano-Catholicæ; quàm illud cujus occaſio & cauſa locum dedit generali totius Provinciæ Synodo, quæ Septembri menſe proxime elapſo celebrata eſt. Ex actis ſubſequentibus id apertè declarabitur. Neceſſariam fecit ipſa negotii gravitas, membrorum totius corporis conjunctionem; ut, communicatis viribus atque conſiliis, res tanta cum eâ quæ decebat dignitate, cum maturâ examinis diſcuſſione, cum prudenti & providâ diſcretione, procederet. De hoc ſiquidem conſultum priùs ac deliberatum ſæpè fuerat in particularibus qui fieri aſſolent Cleri Conventibus, necnon in Archipresbiteratûs cujuſque cœtibus ſeparatis. Ibique mutuò Paſtores omnes & ſinguli ſtatuerant de neceſſitate Synodum Cleri totius Provinciæ generalem convocandi; tanquam naturali ac legitimâ viâ quæ & Canonibus & perpetuâ Eccleſiæ praxi ſanciretur, & ſola poſſet in re tanti momenti ſufficere; ſimulque aptior foret ad efficaciorem eorum executionem quæ communiter, conſentientibus omnibus, decreta fuiſſent.

X. De Ultrajectinæ quæ noviſſimè celebrata eſt Provincialis Synodi neceſſitate.

Sed & ſic definitâ inter ſe ſententiâ, Clerus omnis Ultrajectenſis Provinciæ, quaſi ſibi ipſi diffidens, inſuper ab aliis etiam Eccleſiis conſilium eâ de re mutuari voluit, ne quid deeſſet ad integerrimam ſaluberrimamque propoſiti ſui ordinationem. Quoad igitur fieri potuit, undecunque adſcivit ſibi conſultationes Prælatorum ex more in talibus uſitato, & Theologorum ſimul ac Canoniſtarum; ut in negotio quod aliquatenùs ad univerſam Eccleſiam in ſolidum pertineret, quaſi ex præſumptâ communi Eccleſiarum omnium mente cuncta gererentur.

His rectè ita paratis ac diſpoſitis, Provincialem habuit Synodum Clerus Eccleſiæ Batavæ ſub invocatione Spiritus Sancti; ſervatis ſervandis omnibus tùm ex jure, tùm ex chriſtianæ prudentiæ vel temperamento vel præſcripto: tandemque feliciter abſolutam vidit & gaviſus eſt rem totam, ad gloriam Dei & commune Fidelium commodum,

unanimi cum ſuffragio ; cumque illâ quæ à Patre luminum deſcendit ubertate ſcientiæ, tutiorisque doctrinæ notitiâ certâ ; in pace denique & caritate Chriſti. Atque hæc ſunt illius acta Synodi, quæ hodiè publicam in lucem vulgari placuit.

Digitized by Google

INDEX
ACTORUM ET DECRETORUM
SECUNDÆ SYNODI ULTRAJECTENSIS.

EPISTOLA convocatoria ad Syn. Ultrajeƈt. P. 1.
Oratio DD. Archiepiſcopi Ultrajeƈt. ad Synodum. 4.
Requiſitio D. Procuratoris ut Synodus incœpta declaretur. 7.
Decretum de initio Synodi. 8.
Requiſitio D. Procuratoris ut Decretum de modo vivendi in Synodo promulgetur. 8.
Decretum DD. Archiepiſcopi Ultraj. de modo vivendi in Synodo. 8.
Aƈta & Decreta Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajeƈtenſis. Pars prima. 11.
Requiſitiones D. Procuratoris pro tribus prioribus Decretis. 11.
Decreta Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajeƈtenſis. 14.
Decretum I. ibid.
Decretum II. 15.
Decretum III. 16.
Expoſitio Doƈtrinæ oblata SS. D. N. Benediƈto XIV. menſe Oƈtobri 1744. 21.
Aƈta & Decreta Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajeƈt. Pars II. 36.
Requiſitio generalis D. Procuratoris : ac primùm circa errores libelli inſcripti : Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle. ibid.
Relationes Deputatorum. 46.
Relatio I de V propoſitionibus ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatis. ibid.
Decretum I. 50.
Relatio II. de ſchiſmate Græcorum. 51.
Decretum II. 63.
Relatio III. de Summi Pontificis Primatu. 67.
Decretum III. 81.
Relatio IV. de teſtimonio SS. Patrum ac de Eccleſiæ diſperſæ auƈtoritate. 86.
Decretum IV. 95.
Relatio V. de profeſſione fidei Pii Papæ IV. 97.
Decretum V. 103.
Relatio VI. de Epiſcoporum ſuperioritate. 105.
Decretum VI. 111.

Relatio VII. De Indulgentiis & excommunicatione, ac de traditione. 113.
Decretum VII. 116.
Requiſitio D. Procuratoris Synodi contra errores Harduini & Berruyerii. 120.
Relatio VIII. De Harduini & Berruyerii Jeſuitarum erroribus. 125.
Decretum VIII. 143.
Requiſitio D. Procuratoris circa errores Pichonii, &c. De diſpoſitionibus ad Sacramenta requiſitis. 148.
Relatio IX. De erroribus Pichonii, &c. 149.
Decretum IX. 165.
Requiſitio D. Procuratoris pro damnandis recentiorum Caſuiſtarum erroribus circa morum regulam. 175.
Relatio X. De erroribus recentiorum Caſuiſtarum circa morum regulam. 176.
Decretum X. 186.
Inſtantia D. Procuratoris pro damnandâ doctrinâ Caſuiſtarum circa debitum Principibus obſequium. 192.
Relatio XI. Circa debitum Principibus obſequium. 193.
Decretum XI. 196.
Decretum XII. 200.
Acta & Decreta Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajectenſis. Pars III. 201.
Decreta Diſciplinæ circa ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. ibid.
De Sacramento Baptiſmi. ibid.
De Sacramento Confirmationis. 203.
De ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento. 204.
De Sacrificio Miſſæ. 205.
De Sacramento Pœnitentiæ. 206.
De Extremæ-Unctionis Sacramento. 207.
De Sacramento Ordinis. 208.
De Sacramento Matrimonii. 209.
Declaratio SS. D. N. Benedicti XIV. &c. 210.
Subſcriptiones Patrum S. Synodi. 214.
Epiſtola Synodi Provincialis Ultrajectenſis ad Summum Pontificem. 217.

ACTA

ACTA ET DECRETA
SECUNDÆ * SYNODI
PROVINCIALIS ULTRAJECTENSIS.

EPISTOLA CONVOCATORIA
AD SYNODUM
ULTRAJECTENSEM.

PETRUS-JOANNES, *divinâ Providentiâ Archiepiſcopus Ultrajectenſis, omnibus has Litteras viſuris, Salutem & pacem in Domino.*

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI, AC AMPLISSIMI ET REVERENDI FRATRES.

CUM muneris ſit noſtri, quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, ſemper invigilare ac providere ne dominicus ager devaſtetur; jamdudùm in animo erat, ſi per tempora liceret, ſacro-ſanctis Conciliorum Decretis obedire, & convocatis Comprovincialibus noſtris, totius Cleri Conventum celebrare. Nihil enim [ut ex Chriſti promiſſis, ſæculorum hiſtoriis & Conciliorum ſanctionibus mani-

* Prima Synodus Ultrajectenſis celebrata fuit menſe Auguſt. 1565. ſub Frederico SCHENKIO, primo Archiepiſcopo Ultrajectenſi, ad recipiendum Concilium Tridentinum, &c.

ſeſtiſſimè patet] efficaciùs eſſe conſtat, ut ſancta fides in Eccleſia conſervetur & creſcat; ut ſana doctrina perverſis non corrumpatur dogmatibus, aut ſi quid fortè ſcandali ſubnaſci cœperit, evellatur aut opprimatur. Licet enim nullum ſit catholicum dogma quod non unanimi ac ſincero animo profiteamur, tamen, quia multa quotidie in Eccleſiâ emergunt reprehendenda, aut, quâ pollemus auctoritate, emendanda, neceſſarium ducebamus, id potius Cooperatorum noſtrorum communi conſenſu, quàm quâvis aliâ viâ eſſe præſtandum. Recordabamur tum veterum ſtatuta Canonum, ſanctorumque Patrum conſuetudinem, tum Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi JOANNIS NEERCASSELII anteceſſoris noſtri vota & Litteras convocatorias, quas ſexto Aprilis anni 1676 dedit ad Primores Cleri tum Ultrajectini, tum Harlemenſis, ſingulos alloquens in hunc modum:

» Venerande Domine, noſti, pro eâ quâ inſtructus es ſcientiâ » rerum eccleſiaſticarum, ſanctos Patres, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, » in iſtâ fuiſſe ſententiâ, ut exiſtimaverint Concilia, ad quæ Presbiteri cum ſuo conveniunt Epiſcopo, ingenti pollere virtute, tùm ad » fidem in ſuâ puritate ſervandam, tum ad diſciplinam in Clero & » Populo ſanciendam, tùm ad fraternæ caritatis vinculum arctius aſtringendum. Hinc Canonibus ſtatutum & moribus fuit receptum, ut » bis in anno laudata comitia encyclicis Epiſcoporum Litteris indicerentur, & ea nequidem tunc fuerint intermiſſa, cum tyranni ſuis » minis atque ſuppliciis ea maximè diſturbarent. Dùm iſtas Eccleſiæ » leges & piorum attendo conſuetudinem, & dùm unà conſidero, » quantis donis miſericors Deus Ultrajectini & Harlemenſis Cleri Primores inſtruxerit, animo præſentio quanta ſolatia meæ infirmitati, & » quanta bona Clero & Populo illorum ſit allaturus conventus, judicavi » mei eſſe officii hiſce ipſos litteris invitare, ut HUSSIAM ad Concilium » velint convenire «.

His omnibus vehementer excitati, dum quâ viâ quæ corrigenda ſunt corrigi, aut quæ timenda ſunt præveniri poſſint, animo revolvebamus, in corde noſtro poſuit miſericors Deus, ut quam viam anteà nec auſi ſumus, nec facilè potuimus ingredi, tandem inſequeremur; his maximè temporibus, ubi fidem labi undique, ſacra fidei ac pietatis dogmata impugnari, damnatas ſæpiùs hæreſes renovari, bonos mores depravari, eccleſiaſticæ Diſciplinæ regulas aut ignorari aut negligi acci-

Digitized by Google

pimus. His de cauſis, placuit nobis ad Illuſtriſſimos Suffraganeos noſtros, ad Capitulum noſtrum, necnon ad Archipresbiteros noſtros has Litteras dare, invitantes eos ut ipſi atque delegati in Conventu ſuo delecti, eccleſiaſticarum rerum ſcientiſſimi & amantiſſimi, nobiſcum conveniant, quorum prudentiâ adjuti, quidquid Eccleſiæ noſtræ, communique Catholicorum fidei conducere poterit, ſtatuamus, adverſariorum noſtrorum maledictis, quibus nos in multis neceſſariò credendis inſimulamur errare, occurramus; ſimulque ſinceram noſtram in univerſos eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus, ac imprimis in Summum Pontificem B. Petri ſucceſſorem reverentiam palàm teſtemur.

Rogamus igitur vos, ut ad indicta comitia die decimo tertio menſis Septembris accedere non gravemini, eum habituri itineris veſtri ducem, quem confidimus futurum Conventûs noſtri præſidem, lumen & unitatem.

Hac de causâ, univerſis noſtræ Diœceſis Presbyteris mandamus, ut ſtatim à Litterarum noſtrarum ſibi factâ ſignificatione uſque ad finitum Conventum noſtrum, in ſingulis Miſſis tùm ſolemnibus, tùm privatis, recitetur Collecta *de Spiritu Sancto*.

Datum Ultrajecti die 20 Auguſti, anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi-tertii.

† PETRUS-JOANNES, Archiepiſcopus Ultrajectenſis.

De Mandato.

JALLON.

Digitized by Google

ORATIO HABITA

A Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo DD. Archiepiſcopo Ultrajectenſi ad Synodum Provincialem jam congregatam, 13 Septembris 1763,

DILECTISSIMI FRATRES.

Divinæ bonitati gratias agimus, quod vos, cùm veſtra caritas, tùm Eccleſiæ permovit neceſſitas, ut ad hunc ſacrum cœtum bono animo conveniretis. Quid enim nobis jucundiùs quàm Fratres in unum canonicè congregatos afflictæ Eccleſiæ utilitatibus poſſe conſulere ac providere?

Non poteſt non fieri acrior hic noſter lætitiæ ſenſus, ſi præſentem hujus Eccleſiæ conditionem, Dominorum noſtrorum beneficio factam meliorem, cum præteritis temporibus ubi undequaque omnium formarum ac nominum agglutinabantur nobis calamitates, conferamus. Omitto quæ primùm tùm ex humanarum opinionum quaſi eluvie, tùm ex alienâ Populorum fide, tùm ex variis tentationibus & contradictionibus quas paſſi ſumus, nobis ſupervenere incommoda: & quaſi hæc parva ſint, his malis ſuperaddita alia, & multo majora.

Quis enim temperet à lacrymis, quis intimo dolore non conficiatur, recogitando quanta fuerint in ipſo ejuſdem Eccleſiæ ſinu diſſidia inter Fratres, præſertim ex quo quidam Jeſuitæ in patriam noſtram ſubdolè irrepſerunt? hi primùm à Sasboldo, Archiepiſcopo Ultrajectenſi & Philippenſi, prædeceſſore noſtro, quem falsâ ſpecie pietatis, humilitatis ac ſtudii animarum deceperant, excepti, tamen vix ad adjutorium Paſtorum hujus Eccleſiæ ſunt admiſſi. Dein, ubi detractâ larvâ cognitum eſt pro pietate hypocriſin, pro humilitate ſuperbiam, pro ſtudio animarum avaritiam ſibi ſumpſiſſe, atque in eos animadverti neceſſe eſſe; tunc omnem pudorem exuentes, & tempora difficiliora in rem ſuam vertentes, ſpretis Sasboldi monitis, redargutionibus ac decretis, atque etiam Summorum Pontificum Clementis VIII, Pauli V, Urbani VIII & Alexandri VII diſpoſitionibus aut Conſtitutionibus,

etiam poſt promiſſam Summis Pontificibus obedientiam, pro nihilo habitis, in Eccleſiam noſtram, furentium leonum inſtar irruere, cuncta perturbare, Parœcias occupare, in alienis paſtoralia exercere, agrum Dominicum vaſtare, oves à propriis Paſtoribus alienare, ad ſe adducere : nec ſatis : fallacias & ſolitas technas retractare cœperunt ; apud Summos Pontifices nihil non moliri clanculum, ut in Eccleſiâ Batavâ tota prorsùs ſubverteretur hierarchia. Quam lugendam malorum ſeriem fusè ac dilucidè expoſuimus in noſtrâ ad Benedictum XIV epiſtolâ. Hanc autem epiſtolam Sanctiſſimo Pontifici ſcripſimus, ut manifeſtum eſſet non ex aliis cauſis ſuprà memoratas calamitates à Jeſuitis nobis ſuſcitatas, quàm ob inviolabilem fidelitatem, quâ pretioſiſſimis fidei ac morum dogmatibus, jam diu ab illorum Societate acriter oppugnatis, adhæſimus ; deinde ob eam animi firmitatem ac conſtantiam, quâ jura noſtra ac ſacræ Hierarchiæ ipſis inviſa, pro debito tuiti ſumus, illamque regiminis formam, quam à Chriſto inſtitutam omnes Eccleſiæ Catholicæ uſu perpetuo tenuere, apud nos obſervari curavimus.

Quaptopter, FRATRES DILECTISSIMI, confortamini & eſte robuſti. Si quid nimiâ timiditate peccavimus, conſtanter corrigamus ; ſi conſideratiùs quæ officii noſtri ratio à nobis poſtulabat omiſimus, reparemus. Quod ut aſſequamur, nullum eſſe medium efficacius quàm Epiſcoporum & Sacerdotum Conventus, nemo neſcit qui eccleſiaſticarum rerum ſtudio aliquantulùm verſatus, omnium ferè ætatum conſuetudini, & ſacrorum Canonum Decretis attendit.

Hinc primis Eccleſiæ ſæculis frequenter habita Concilia, præſertim ut liberiùs haberi potuerunt. Hinc ex Canonibus apoſtolicis, qui magnam tùm apud Orientalem Eccleſiam, tùm apud Occidentalem ſemper obtinuere auctoritatem, bis in anno : hinc ex Concilio Toletano IV ſingulari reverentiâ digno, ſemel ſaltem : hinc ex Concilio Germanico, præſidente Sancto Bonifacio, cui etiam interfuit Epiſcopus Ultrajectenſis qui ſecundus poſt Sanctum Willibrordum noſtram rexit Eccleſiam, bis : hinc ex Concilio generali Nicæno II° (ut alia multa omittamus) ſemel, Metropolitani Concilia Provincialia convocare tenebantur. Quocircà mirâ Providentiâ Spiritu Sancto Eccleſiam regente, ſacrum Concilium Tridentinum *pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus permiſſis,*

Concilia Provincialia, ſicubi omiſſa ſunt (1), ſingulis trienniis, Diœceſana verò ſingulis annis renovari mandavit. Quare poteſtate nobis à Deo conceſſâ, & ſapientiſſimis Conciliorum Decretis obedire volentes, huncce Conventum indicare neceſſarium duximus.

Nihil nos de hac re ſtatutum ac deliberatum habuimus, niſi priùs cum Illuſtriſſimis Collegis noſtris longo ac maturo examine, omnibus coram Deo perpenſis; niſi (ut in omni negotio ſemper anteà) aditis per litteras pluribus Epiſcopis tùm doctrinâ tùm conſilio commendatiſſimis; niſi de legitimiore procedendi modo conſultis in Jure Canonico totius Europæ Viris verſatiſſimis; niſi tandem adhibitis Theologis doctrinæ catholicæ addictiſſimis.

Jam vobis ex magnâ parte notum fuit, quâ mente quove conſilio nobiſcum vos convenire voluerimus. Non equidem ut Eccleſiæ noſtræ depauperationem lugeremus, hujuſque meliùs dotandæ rationibus conſuleremus. Quid enim bonorum noſtrorum jactura eſt aliud, niſi gloriatio noſtra, corona noſtra? Convenimus, DILECTISSIMI FRATRES, ut teſtes malorum quibus & à quodam auctore alienigenâ apud nos fortuitò degente, Eccleſia Batava variis dehoneſtatur erroribus: & ab impiis hominibus quos dudum deſignavimus, non tantùm Batava, ſed univerſalis miſerum in modum agitatur ac dilaceratur Eccleſia, doloris ejus tamquam ejuſdem corporis membra, in partem veniamus. Tot enim jam diù tamque peſtiferos ex ſuâ officinâ anhelitus eduxere & ſparſere undique errorum fabricatores; ut totam ferè Eccleſiam quaſi contaminatam videamus: eamque, niſi fide noſtrâ certum eſſet per Dei promiſſa immotam permanere ſemper, jam convulſam moxque perituram credamus. Nihil enim ab eis intactum, nihil non tentatum ut genuinum ſcripturarum ſenſum interverterent, ſacroſancta Chriſtianæ Religionis Myſteria impugnarent, Diſciplinam eccleſiaſticam, omnemque morum regulam ſophiſmatibus ac præſtigiis deſtruerent. Hoc totum perverſæ doctrinæ corpus iteratis anathematibus fruſtrà percuſſere Summi Pontifices: fruſtrà Paſtoralibus documentis damnavere quam-plurimi Galliarum Epiſcopi: fruſtrà Sacra Theologiæ Pariſienſis Facultas ſapientiſſimo Decreto proſcripſit: quæ perverſa dogmata falſi illi Doctores audacter primùm ſtruxerant, impudenter ac pertinaciter etiam nunc defendere audent.

(1) Seſſ. 24. c. 2.

Digitized by Google

Pudeat nos in tantis Eccleſiæ malis extremos veniſſe ad pugnam. Si dum cæteri clamant, tacuerimus, digni certè ſumus in eorum numero reputari qui in ſacris paginis appellantur *ſpeculatores cæci... canes muti non valentes latrare* (1).

Cùm igitur Catholicorum hoc verè proprium ſit, *depoſita Sanctorum Patrum ſervare, & damnare profanas novitates* (2), ſicut dixit Apoſtolus, elaboremus, ut quæ non minùs ex peccatorum noſtrorum merito quàm ex temporum calamitatibus exorta ſunt zizania, penitùs tollamus. Nihil niſi quod verum, juſtum & ſanctum eſt, nihil niſi quod antiquis Canonibus, ſacris Conciliorum Decretis, ac ſapientiſſimis Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus conforme erit, ſtatuamus. Quæ ſtatuta fuerint, ipſi obſervemus, ac Fidelibus quibus præeſt unuſquiſque noſtrûm, obſervanda curemus.

Hortamur vos imprimis, ut ſi quæ in deliberando natæ fuerint controverſiæ, ita poſſint terminari, ut contentio nulla reſideat, ſed ſolida inter Fratres caritas coaleſcat; & ſicut concordibus votis hoc tam ſalubre opus ſuſceptum eſt, concordibus quoque animis exequamur.

REQUISITIO

D. LUDOVICI VAN-ZELLER, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonici, & Sanctæ Synodi Procuratoris, ut Synodus incœpta declaretur.

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

Placetne vobis, ad laudem & gloriam Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti ad tuendam fidem, augendam Chriſtianæ Religionis diſciplinam, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, & controverſiis componendis aliiſque ex Sacris Canonibus permiſſis, Sacram Ultrajectenſem Provincialem Synodum incipere?

(1) Iſaiæ 56. 10.
(2) Vinc. Lirin. c. 32.

DECRETUM.

De initio Sanctæ Synodi.

Nos PETRUS-JOANNES, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, ad Dei omnipotentis laudem & gloriam decernimus, de conſilio & conſenſu Reverendiſſimorum DD. Coepiſcoporum noſtrorum & D. Deputatorum, hoc ipſo die, qui dies decimus tertius eſt menſis Septembris, adjutrice divinâ miſericordiâ, initium fieri, atque adeo jam factum eſſe Synodi Provincialis Ultrajectenſis, quam die 20 menſis Auguſti proximè elapſi noſtrâ Metropolitanâ auctoritate indiximus, inhibentes ne quis ab eâ recedat ſine noſtro & Synodi conſenſu.

† PETRUS-JOANNES, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, Præſes.

REQUISITIO

D. Procuratoris, ut Decretum de modo vivendi in Synodo promulgetur.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine Metropolitane.

Illud in more poſitum eſt, initio cujuſque Synodi Provincialis Decretum de modo vivendi, legi & edici. Ideo ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Archiepiſcopo petimus, ut, quemadmodum moris eſt, legatur, edicatur & promulgetur ejuſmodi Decretum.

DECRETUM

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi DD. Archiepiſcopi Ultrajectenſis,

De modo vivendi in Synodo.

Cùm Chriſtus *in medio eorum* qui fuerint *in* ejus *nomine congregati* (1), adeſſe promiſerit; aliundeque certum ſit, nos, nec *ſufficientes eſſe*

(1) Matth. 18. 20.

cogitare

cogitare aliquid à nobis; *quaſi ex nobis*; *ſed omnem ſufficientiam noſtram ex Deo* eſſe (1); non noſtris viribus, ſed Domini atque divini Capitis noſtri clementiæ & promiſſo fidentes, ad ſanctam hanc Synodum accedere omnes debemus. Ad quid enim huc in unum deliberaturi convenimus? Nempè non ſæculare negotium acturi, verùm de fidei integritate, de morum doctrinâ ac praxi, de eccleſiaſticâ demùm diſciplinâ, quibus nobis antiquiùs nihil eſt, tractaturi; eoque animo ac voto, ut hujus Provincialis Eccleſiæ ſaluti & paci, necnon univerſali Catholicæ Eccleſiæ bono, quantùm in nobis eſt, conſulamus. Quò verò tantum opus & fauſtè incipiatur & feliciter perficiatur, Spiritu Sancto opus nobis eſt, qui mentes noſtras illuminet, & in omnem inducat veritatem; conſilio & prudentiâ opus eſt, ut *probemus potiora* (2) & noxia vitemus, ut ſciamus *quæ ſit voluntas Dei bona*, *beneplacens & perfecta* (3): concordia opus eſt, ut communi utilitati providere aggredientes, ad id communem niſum communemque ſententiam adhibeamus: pietate opus eſt, ut non noſtram, ſed Dei gloriam & animarum ſalutem, in tam ſancto negotio requiramus: precibus deniquè opus eſt, ut hæc omnia à divinâ bonitate impetremus. Quidni autem illud ſperemus, præſertim ſi morum ſanctitate ac bonis operibus precibus noſtris vim addamus?

Obſecramus ergò Reverendiſſimos Epiſcopos, & Compresbiteros hortamur atque monemus, eo quo poſſumus paterno & paſtorali animi affectu, ut orationi inſtantes, & frequenti ſacroſancti Sacrificii oblatione Dominum placantes, divinæ benedictionis opem ac perpetuum influxum in Patres omnes congregatos, totamque hanc Synodum alliciant, ut *ſollicitudine non pigri & ſpiritu ferventes* (4), iis omnibus quæ agenda ſunt, ſedulò incumbant: ut caritate fraternitatis invicem diligentes, honore, manſuetudine ac benevolentiâ invicem præveniant: *ut ſobriè*, *piè & juſtè vivant* (5), ſicut decet Chriſtianos; ut canonicè congregati, ad normam Canonum mores componant, ſicut decet Clericos, virtutumque omnium, exemplo Chriſti, bonum odorem diffundant.

(1) 2. Cor. 3. 5.
(2) Philip. 1. 10.
(3) Rom. 12. 2.
(4) Rom. 12. 11.
(5) Tit. 2. 12.

Præterea, cùm Apoſtolus monuerit, ut *obſecrationes*, *orationes*, *poſtulationes*, *gratiarum actiones* fiant *pro omnibus qui in ſublimitate ſunt* (1), pias preces ad Deum noſtrum fundamus, primùm pro Eccleſiâ ſanctâ Dei, ut detur nobis eam videre ſicut erat in diebus antiquis; pro SS. D. N. Clemente Papâ XIII; pro diverſis hierarchici Ordinis Miniſtris, ac præſertim pro gregibus nobis commiſſis; deinde pro Dominis noſtris, Supremiſque omnium Catholicorum Regnorum Poteſtatibus; ac demum pro iis qui ab Eccleſiâ aut à Chriſtiano nomine alieni ſunt, etiam Judæis & Infidelibus; *ut quietam & tranquillam vitam* (2) agentes pace fruamur, fidemque catholicam ac ſinceram pietatem, juxta divina promiſſa ubique diſſeminari cernamus, ut *in omnibus & per omnia glorificetur Deus & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti*, *qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.* Amen.

Eos verò qui *Congregationibus intereſſe debent aut poſſunt*, *eâ moderatione animi & lenitate quâ viros Spiritu Dei afflatos decet*, *ſine ullâ altercatione aut contentione ſenſa ſua proferre*, vehementer *peroptamus* (3); enixeque rogamus ut ea omnia devitent quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.

† Petrus-Joannes, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, Præſes.

(1) 1. Tim. 2. 1.
(2) Ibid.
(3) Concil. Burdigal. 1624. de modo viv. in Conc.

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA

Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajectenſis.

PARS PRIMA.

REQUISITIONES D. LUDOVICI VAN-ZELLER, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonici & Sanctæ Synodi Procuratoris, pro tribus prioribus Decretis proponendis.

PRO PRIMO DECRETO.

CUM plures ſint Canonici, Paſtores, & forte alii in Provinciâ eccleſiaſticâ hujus Metropoleos Ultrajectenſis, quos de jure ad hunc Conventum generalem Cleri Romani Catholici fœderati Belgii, convocari oportuiſſet, & huic Venerabili Cœtui aſſiſtere, ſi Epiſcoporum ſuorum auctoritatem agnoviſſent, requirimus ut per aliquod Decretum à Sanctâ Synodo eorum jura ſarta-tecta declarentur, ſi poſtea (quod ſummoperè exoptamus) eis placuerit nobiſcum convenire.

PRO SECUNDO DECRETO.

Quoniam ex Chriſti Ordinatione & eccleſiaſticâ conſuetudine, omnia in Eccleſiis ex mutuo conſilio & aſſenſu Fratrum ordinanda ſunt, & Concilium Tridentinum (1) præcipit ut ſingulis trienniis Concilia Provincialia celebrentur, poſtulamus ut à Sanctâ Synodo Decretum detur pro convocatione Conventûs generalis Cleri Romani Catholici fœderati Belgii, ſingulis trienniis.

PRO TERTIO DECRETO.

§ I.

Quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, (2) [*eſt* enim *fides humanæ ſalutis initium*, ex quâ *tanquam à fundamento pendet vita ſpiritualis & religio noſtra* (3),] petimus ut à ſancto Conventu, exemplo ſacro-

(1) Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 2. de reform.
(2) Heb. 11. 6.
(3) Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 8. Syn. Gand. 1650. c. 1.

Digitized by Google

rum Conciliorum, præmittatur profeſſio fidei quam Conſtantinopolitanam vocant, quæ à Sanctâ Romano-Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ in omnibus Eccleſiis inter Miſſarum ſolemnia legitur.

§. II.

Cùm non ſufficiat Eccleſiæ Miniſtris *fidelem Sermonem amplecti & exhortari in Doctrinâ ſanâ*, (1) ſed & oportet *profanas vocum novitates* rejicere, & *eos qui contradicunt arguere*; poſtulamus ut Sancta Synodus omnes hæreſes à Sacris Canonibus & generalibus Conciliis, præcipuè à Sanctâ Synodo Tridentinâ (2) damnatas, deteſtetur & anathematizet, ſimulque adhæreat (ſicut ſemper adhæſit Eccleſia Batava,) profeſſioni fidei quæ Pii Papæ IV nomine inſcribitur. In quâ profeſſione continetur ſumma Decretorum Concilii Tridentini, quæ ab omnibus ferè Conciliis Provincialibus accepta eſt, ab omnibus Epiſcopis & aliis qui ad Eccleſiæ Dignitates accedunt, emittitur, & ab omnibus qui ab hæreſi ad Eccleſiæ ſinum redeunt, exigitur.

§

Rurſus, cum *debitores ſimus Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus* (3), nec ſatis poſſimus ingenuè & enucleatè Catholicam fidem quam profitemur exhibere, tum prætenſè reformatis qui quorumdam *luxuriantium ingeniorum licentiam* (4), ac errores *animarum perniciem inferentes* toti Eccleſiæ Romano-Catholicæ attribuunt, tum etiam Catholicis aliquibus de nobis circa fidem noſtram multa mentientibus; poſtulamus ut ſacer Conventus ſuum faciat Librum Illuſtriſſimi Meldenſis Epiſcopi, Jacobi Benigni Boſſueti, cui titulus: *Expoſitio Doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ*. Primò, quia fidem Catholicam fideliter expoſuit: deinde, quia ſanctæ memoriæ Præſules noſtri Neercaſſelius & Coddæus conſilium & manum dederunt Illuſtriſſimo auctori, tum pro verſionibus ex Gallicâ Linguâ in Latinam & Belgicam, tum pro impreſſione & editione hujus Libri, in quo conſervatum agnoſcimus fidei noſtræ depoſitum.

(1) Tit. 1. 9. 1. Tim. 6. 20. Tit. 1. 9.
(2) Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 2. de reform.
(3) Rom. 1. 14.
(4) Decr. Alex. VII, 24. Septemb. 1665.

§ IV.

Cùm poſt Concilium Tridentinum jam à pluribus annis inter ipſos Catholicos ortæ ſint controverſiæ, & ex divi Petri monitis *parati ſemper* (1) eſſe debeamus *ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de eâ quæ in nobis eſt, ſpe*: illuſtriſſimus Coddæus, tam ſuo quàm Cleri ſui nomine, expoſitionem Doctrinæ initio hujus ſæculi Eminentiſſimis Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus dudùm obtulerat: hoc & deinde fecerunt omnes Archiepiſcopi Ultrajectenſes variis inſtrumentis in lucem editis: tandem anno 1744 menſe Octobri, Capitulum Cathedrale Ultrajectinum aliam Benedicto XIV exhibuit Doctrinæ expoſitionem eâdem mente concinnatam, quæ (ut ex non contemnendis teſtimoniis didicimus) Benigniſſimo Pontifici minimè diſplicuit; ideo poſtulamus ut inter illas expoſitiones dogmaticas, hæc ultima expoſitio actis hujuſce Conventûs inſeratur; tum quia nihil aliud continet quàm quod Eccleſiæ Catholicæ celebriores Epiſcopi & Theologi tanquam antiquum fidei & ſanæ Doctrinæ depoſitum nobis reliquerunt; tùm quia quidquid in eâ reperire eſt, jam variis temporibus SS. Romanæ Eccleſiæ Pontificibus Alexandro VII, Alexandro VIII, Innocentio XI, Innocentio XII, &c. oblatum eſt, & ab ipſis approbatum.

(1) 1. Pet. 3. 15.

Digitized by Google

DECRETA

Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajectenſis.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

NOS PETRUS-JOANNES MEYNDARTS, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, JOANNES VAN-STIPHOUT, Epiſcopus Harlemenſis, BARTHOLOMÆUS BYEVELD, Epiſcopus Daventrienſis. (Tribus aliis Epiſcopalibus Sedibus noſtræ Provinciæ, Leovardienſi ſcilicet, Gruningenſi & Middelburgenſi adhuc, ob temporum calamitates, vacantibus.) Necnon Decanus & Canonici Capituli Metropolitani, cum Archipresbiteris & Paſtoribus Deputatis Diœceſium Ultrajectenſis & Harlemenſis, in Spiritu Sancto legitimè & canonicè in hoc Sacro Cœtu congregati, quæ ſequuntur ſtatuenda duximus.

DECRETUM Ium

Quod nulli præjudicium fiat ex iis quæ in hoc Conventu acta fuerint.

Cùm inimicus homo, jam ex multo tempore, in his Eccleſiis zizania inter Fratres ſeminaverit, & multi ſint curæ animarum incumbentes, qui falſis præjudiciis circumventi *non recipiant nos* (1); cùmque non deſperemus fore ut, opitulante & adjuvante omnipotente & miſericordiſſimo Deo, tandem *uno ore Deum honorificemus, & non ſint in nobis ſchiſmata* (2), declaramus, quidquid in præſenti Conventu actum vel defini-

(1) Epiſt. 3. Joann. 9.
(2) Rom. 15. 6. 1. Cor. 1. 10.

Digitized by Google

tum fuerit, id omne futurum ſalvis, ſi quæ ſint, cujuſcumque juribus ſupradictorum diſcordantium Fratrum, quæ ſarta-tecta remanebunt, cùm eis in unum nobiſcum convenire placuerit, ſecundum ordinem ab Eccleſiæ incunabulis huc uſque obſervatum; quod, quantum in nobis erit, precibus, exhortationibus, omnibuſque caritatis & benevolentiæ effectibus, ut promptè eveniat, ſatagemus; toto corde exoptantes ut ſimul dicamus omnes : *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum* (1).

DECRETUM IIum.

Ut Clerus noſter frequentiùs congregetur.

Quoniam ex Chriſti Domini noſtri ordinatione & eccleſiaſticâ conſuetudine, omnia in Eccleſiis ex mutuo conſilio & aſſenſu Paſtorum ordinanda ſunt, dùm totius Romano-Catholicæ Eccleſiæ convocationem totis deſideriis expectamus, ut omnes *vepres, ſpinas & tribulos hæreſeon* (2), *errorum & ſchiſmatum extirpet, exceſſus corrigat, deformata reformet, vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducat* (3), *nec aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in caritate diviſum*, Deuſque dignetur juventutem Eccleſiæ ut aquilæ renovare (4), ſtatuimus univerſi Cleri noſtri frequentiores Conventus cogere, *pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis*, &c. (5) eoſque, quantum & temporum circumſtantiis ſupremorumque Dominorum noſtrorum benevolentiâ licuerit, ad minus quolibet triennio agere.

(1) Pſal. 132.
(2) Conc. Conſt. ſeſſ. 39.
(3) S. Leo & Syn. rom ad Theod. Epiſt. 40. nov. edit.
(4) Pſal. 102.
(5) Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.

DECRETUM III[um].

De Fide Catholicâ , & eandem profitendi ratione.

I.

Fides, *ſine quâ impoſſibile eſt placere Deo*, eſt *humanæ ſalutis initium* (1), ex quâ *tanquam à fundamento pendet vita ſpiritalis & religio noſtra* (2). Unde ante omnia ſtatuimus præmittendam eſſe Confeſſionem Fidei, Patrum, ſacrorumque Conciliorum exempla ſecuti, qui Fidei Confeſſionem principio ſuarum actionum apponere conſueverunt. Hoc autem Symbolum Fidei, quo Una, Sancta, Romano-Catholica & Apoſtolica Eccleſia utitur, totidem verbis quibus in omnibus Eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuimus, quod quidem ejuſmodi eſt.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: & in unum Dominum Jeſum-Chriſtum, Filium Dei unigenitum; & ex Patre natum, ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patris, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis; Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Mariâ Virgine: ET HOMO EACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas; & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt, cùm gloriâ, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem; qui ex Patre, Filioque

(1) Heb. 11. 6.
(2) Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8. Synod. Gand. 1650, c. 1.

procedit,

procedit ; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur ; qui locutus eſt per Prophetas : Et unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum : Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

I I.

At cùm non ſufficiat Chriſti & Eccleſiæ Miniſtris *fidelem ſermonem amplecti & exhortari in Doctrinâ ſanâ* (1), oporteatque adhuc *profanas vocum novitates* rejicere (2), & *eos qui contradicunt arguere* (3) : hinc neceſſarium duximus *omnes hæreſes à ſacris Canonibus & generalibus Conciliis, præſertimque à ſanctâ Synodo Tridentinâ, damnatas deteſtari & anathematizare* (4), ſicut ſemper deteſtati ſumus & anathematizavimus. Cùmque ſumma Decretorum fidei hujus ultimi Concilii, à S. D. N. Pio Papa IV, propoſita in Bullâ *Injunctum nobis*, die 9 Decembris 1564 Romæ publicata ; eaque fidei profeſſio *juxta receptum Eccleſiæ univerſalis ritum* (5), *ab omnibus Catholicis ſit emittenda* (6), *ipſâque fide qui intrà Eccleſiam ſunt ad Eccleſiæ Dignitates ipſaſque adeo Epiſcopales Cathedras promoveantur, & qui extrà ſunt ad Eccleſiæ caſtra revocentur* (7) : hinc rurſum Fidei huic catholicæ ſincerè adhærere decrevimus, ſicut ſemper indivulſè adhæſimus.

I I I.

Rurſus, cùm *debitores ſimus Græcis & Barbaris, ſapienti-*

(1) Tit. 1. 9.
(2) 1. Tim. 6. 20.
(3) Tit. 1. 9.
(4) Synod. Provinc. Mechlin. 11. Junii 1570. Synod. Diœc. Buſc. 8. Maii 1571.
(5) Conc. Narbonn. anno 1609. tom. 15. Concil. col. 1575.
(6) Concil. Burdigal. anno 1624. ibid. col. 1634.
(7) Opera Boſſueti tom. 14. append. p. 2.

bus & inſipientibus (1), non incongruum exiſtimavimus Doctrinam Eccleſiæ Romano-Catholicæ, ab Illuſtriſſimo Boſſueto, Epiſcopo Meldenſi, fideliter expoſitam, noſtram facere, eamque ob oculos ponere, tum Fratribus Proteſtantibus à Communione Eccleſiæ Catholicæ ſeparatis, tum his qui in eâ Communione viventes, Doctrinam noſtram diris & falſis imaginibus deformatam traducere non erubeſcunt.

Ad hanc autem agendi rationem multiplici animo adducimur.

1°. Ut diſcant Acatholici, integri ferè ſæculi experientiâ, Illuſtriſſimum illum Epiſcopum non mitigaſſe Eccleſiæ Catholicæ dogmata, nec conciliandis omnibus temperamenta conquiſiſſe, ſed ſincerè & integrè ea Doctrinæ capita tradidiſſe, quæ ſummâ auctoritate ſtabilita ſunt, quæque omnes Romano-Catholici & credere & obſervare tenentur; atque cognoſcant ex æquitate & ſuorum Doctorum teſtimonio, *iniquum eſſe privatorum ſententias univerſæ Societati tribuere* (2), ac proinde toti Eccleſiæ Romano-Catholicæ, quæ tantùm docentur à privatis ingeniis, etiamſi ingens eſſet eorum numerus. Manifeſtum eſt enim ea ferè omnia propter quæ Acatholici à nobis maximè diffident, quæque privatis Doctoribus Communionis Catholicæ objicere ſolent, nec à nobis, nec ab univerſis Romano-Catholicis admitti; imo eos qui inter Catholicos zelo, doctrinâ ac pietate eminent, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam animarum perniciem inferentem* (3), quæ in dies excreſcere videtur, abominari, tanquam illas *doctrinas dæmoniorum* (4), quas ſancti Apoſtoli in noviſſimis temporibus exſurrecturas prædixerunt.

(1) Rom. 1. 14.
(2) Dall. apol. c. 6.
(3) Decret. Alex. VII. 24. Septembris 1665.
(4) Ad Tim. 1. c. 4. v. 1.

Digitized by Google

2°. Ut attendant omnes, ac præſertim quidam ex Catholicis qui nos velut in fide noſtrâ ſuſpectos inſimulant, quod cùm nemo ſciat *quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt* (1), fides adhibenda eſt probis hominibus de ſuâ mente teſtimonium perhibentibus.

I V.

Cùm ex divi Petri monitis, *parati ſemper* (eſſe debeamus) *ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de eâ quæ in nobis eſt ſpe* (2): cùmque ex Sancto Hieronimo (3), aliiſque Sanctis Patribus in materiâ fidei nemini liceat, ac multò minus Sacerdotibus, calumnias ſilenter pati; quam ſæpè tradidimus, hanc nos duximus, & quidem ſolemniùs renovandam explanationem Doctrinæ noſtræ, quoad controverſias quæ inter Catholicos agitantur. Hoc pluriès fecerunt Prædeceſſores noſtri, ſpecialiter Illuſtriſſimus Coddæus, præcipuè initio hujus ſæculi, dum ſuo Clerique ſui nomine Declarationem & Reſponſiones Eminentiſſimis Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus obtulit, in quibus nonniſi quaſdam propoſitiones nobis ignotas, quas generatim tantum ac confuſè *ſuſpectas* vocant, ipſimet adverſarii reprehendere potuerunt. Hoc & deindè fecerunt omnes Archiepiſcopi Ultrajectenſes cum Clero ſuo, variis inſtrumentis in lucem editis. Hoc tandem egit Capitulum Ultrajectenſe, menſe Octobri 1744, dum S. D. N. Benedicto XIV *Expoſitionem Doctrinæ*, &c. exhibuit, quæ (ut ex non contemnendis teſtimoniis didicimus) benigniſſimo Pontifici lecta ac recitata minimè diſplicuit. Hanc ultimam ex omnibus Expoſitionem hîc inferendam ſelegimus, utpotè in quâ nihil reperire ſit,

(1) 1. Cor. 2. 11.
(2) 1. Pet. 3. 15.
(3) Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem. Epiſt. 38.

niſi quod fortiores & fideliores Exercitus Iſrael, celebriores ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi & Theologi, tanquam antiquum fidei & ſanæ Doctrinæ depoſitum, nobis reliquerunt; quodque Sanctiſſimis Eccleſiæ Romanæ Pontificibus Alexandro VII & VIII, Innocentio XI & XII, necnon Benedicto XIII & XIV variis temporibus oblatum, & ab ipſis indubitanter approbatum eſt.

Huic autem expoſitioni adhæremus, non tam ut adverſariorum calumnias repellamus, quàm ut, gloriam noſtram alteris non daturi, ligemus teſtimonium, ſignemus legem in Diſcipulis Domini, & jungamur iis omnibus qui Domini ſunt, quique aiunt, ſicut olim Propheta: *in manu forti erudivit me* (Dominus) (1), *ne irem in viâ* hominum illorum *corruptorum mente, reproborum circa fidem* (2), dicentium *conjuratio*, cùm *omnia* quæ loquuntur ipſi, *conjuratio ſit* (3): quorumque *inſipientia* brevi *manifeſta erit omnibus* (4).

Hæc autem ſic habet.

(1) Iſai. 8. 11. 12.
(2) 1. Tim. 6. 5. 2. Tim. 3. 8.
(3) Iſaiæ 8. 12.
(4) 2. Tim. 3. 8.

EXPOSITIO DOCTRINÆ

Quoad controverſias quæ inter Catholicos agitantur, oblata SS. D. N. BENEDICTO Papæ XIV.

Romam miſſa menſe Octobri 1744.

CUM non deſinant adverſarii quidam integritati fidei noſtræ inferre calumnias, quæ in aliis ex malevolentia, in aliis ex præjudicatis Scholæ ſuæ opinionibus, in aliis denique ex facilitate credulitatis oriuntur; non immeritò metuimus, ne dum talia audent in his etiam locis ubi accuſationum falſitas facilè deprehendi poteſt, audaciùs eadem iſta, aut fortè etiam pejora diſſeminent in longinquioribus locis, ac præſertim apud Sanctæ Sedis adminiſtros, quos adverſum nos exaſperare præcipua ſemper eis cura fuit. Si autem veris Catholicis durum eſt in ſuſpicionem pravæ doctrinæ vocari apud quemcumque Catholicum, multo duriùs eſt, ſi id fiat apud legitimos Superiores; at longè duriſſimum, ſi apud Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram. Quod etſi neſciamus an & quouſque factum ſit [ſæpiùs enim clam quàm palam venena ſua diffundunt calumniatores] ipſe tamen in re tam gravi metus non infundatus, ipſa erga Apoſtolicam Sedem reverentia poſtulare videtur, ut coram illa calumnias ejuſmodi, vel jam ſuggeſtas confutemus, vel fortè ſuggerendas præveniamus, ſincerâ & apertâ doctrinæ noſtræ expoſitione, quoad omnia diſſentionum capita quæ toto jam ſeculo tot in Eccleſiâ Catholicâ turbas pepererunt.

Sæpè quidem conteſtati ſumus, publicis etiam actis, nos firmiſſimè tenere omnia & ſingula dogmata quæ filiis ſuis credenda proponit Eccleſia Romano-Catholica; ac viciſſim nos toto animo damnare omnia & ſingula dogmata, quæ Eccleſia Catholica damnat. Sæpè provocavimus adverſarios omnes, ut ſine vagis clamoribus, ſine ambiguis phraſibus, vel unicum catholicæ fidei articulum exhibeant, qui à nobis negatus, vel in dubium vocatus fuerit: neque quiſquam fuit, qui in apertum prodiens id ſolummodò tentaverit, nedùm ut probaverit. Sufficere hoc abundè queat æquis rerum æſtimatoribus, ut ſaltem de fidei noſtræ integritate non dubitent. Sed non inutile forſan fuerit, ut

omne vel iniquum ſuffugium calumniæ præcludatur, ſpecialiùs & diſtinctiùs mentem noſtram explanare quoad illas ſententias, de quibus jam diu diſſident & fervidiſſimè diſputant Theologi Catholici. Nam quin omni cordis affectu amplectamur omnes & ſingulas ſanctæ œcumenicæ Synodi Tridentinæ Definitiones, atque omnia & ſingula dogmata quæ in Profeſſione fidei Pii Papæ IV continentur, ne ullum quidem adverſariorum noſtrorum ſeriò ambigere exiſtimamus, de eorum ſaltem numero quibus aliqua adeſt modernarum diſſentionum notitia.

Cùm tamen nihil invidioſiùs jactare ſoleant iidem adverſarii, etſi vagis & ambiguis plerumque vocibus, quàm nos de auctoritate Sedis Apoſtolicæ & Summi Pontificis non rectè ſentire, hanc imprimis calumniam, quæ cuilibet animo ſincerè catholico non poteſt non videri intolerabilis, amoliri æquum eſt. Quâ de re non exiſtimamus, vel apertiùs vel feliciùs nos poſſe fidei noſtræ integritatem declarare, quàm iiſdem planè verbis quibus in ſuâ Expoſitione Doctrinæ Catholicæ uſus eſt invictus ille Eccleſiæ Catholicæ propugnator Boſſuetus, Condomienſium ac dein Meldenſium Epiſcopus, cujus libellus ille verè aureus, non ſolum à pluribus S. R. E. Cardinalibus, ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, præcipuique nominis Theologis ſummoperè commendatus, ſed & ab ipſo ſanctæ memoriæ Pontifice Innocentio XI. ſingulari Brevi ad Auctorem dato 4 Januarii 1679, ſummis laudibus ornatus ac probatus fuit; quo in Brevi his inter cætera verbis Auctorem dignatus eſt optimus Pontifex: » Libellus de Catholicæ Fidei Expoſitione à Fraternitate » tuâ compoſitus, nobiſque oblatus, eâ doctrinâ eâque methodo ac » prudentiâ ſcriptus eſt, ut perſpicuâ brevitate legentes doceat, & » extorquere poſſit etiam ab invitis catholicæ veritatis confeſſionem. » Itaque non ſolùm à nobis commendari, ſed ab omnibus legi atque » in pretio haberi meretur «. Quo teſtimonio tanti Pontificis abundè conſtat, nihil prorsùs eo libello contineri quod pontificiæ auctoritati ullatenus deroget; præſertim cùm in eodem Brevi Pontifex ſpeciatim laudet Auctoris devotionem atque obſervantiam erga Sanctam Sedem. Securi itaque hìc deſcribemus & adoptabimus totum ejus libelli de hâc materiâ articulum, nihil illius omittentes, ne vel malignantium ſuſpicionibus locus aliquis relinquatur. Sic itaque catholicam de Sanctiſſimâ Petri Cathedrâ doctrinam illic exponit Illuſtriſſimus Boſſuetus, cui lubentiſſimè ſubſcribimus.

» (1) Cùm Chriſtus Eccleſiam ſuam unam eſſe voluerit, & firmiter
» in unitate fundatam, Primatum B. Petri ad illam continendam coag-
» mentandamque inſtituit. Quare eumdem agnoſcimus Primatum in
» Principis Apoſtolorum Succeſſoribus, quibus idcircò ea ſubjectio
» debetur, ea obedientia, quam ſancta Concilia, ſanctique Patres Chriſ-
» tianos ubique docuerunt.

» Ea porrò de quibus in Scholis quæri omnes norunt, licet in me-
» dium afferre Calviniani Doctores non deſinant ad conflandam illi
» poteſtati invidiam, hìc commemorare nihil attinet, cùm è fide ca-
» tholicâ non ſint. Sufficit agnoſcere Caput & Paſtorem à Deo conſti-
» tum, ut gregem omnem in viam ejus dirigat : quod libenter ii facient
» omnes qui fraternæ eccleſiaſticæque concordiæ ſtudent.

» Equidem ſi fuiſſent unitatis ſtudioſi novæ hujus reformationis auc-
» tores ; nec epiſcopale regimen antiquaſſent ab ipſo Chriſto inſtitu-
» tum, & ab Apoſtolorum temporibus omnibus Eccleſiis notum ; nec
» Cathedram B. Petri ſprevisſent, cujus auctoritas & fundamentum in
» Evangelio tam firmum habeat, & in Traditione tam manifeſtam,
» tamque continuam omnibus ſeculis teſtificationem. Imò ſervaſſent
» potiùs diligenter & Epiſcopatûs autoritatem quâ unitas in ſingulis
» Eccleſiis conſtat, & Sedis Petri Primatum qui Catholicæ omnis
» unitatis commune vinculum eſt.

Quoad eas verò quæ poſt Pii IV tempora inter Catholicos ortæ ſunt, & hactenus fervent controverſiæ, nihil videmus poſſe in tantis diſſentionum nebulis clariùs & tutiùs eligere ad mentem noſtram declarandam, quàm illos ipſos doctrinæ & diſciplinæ Articulos, qui quoad omnes illas materias diverſis temporibus Sanctæ Sedi Apoſtolicæ fuerunt oblati, & quorum ne unus quidem ab eâdem Sede condemnatus aut rejectus fuit.

Quos dum ſincerè adoptamus, ſimul confidimus omnem de doctrinâ noſtrâ ſuſpicionem ſublatam fore : quo facto minus erit difficile reliqua eccleſiaſticæ paci obſtantia elucidare & componere.

Exordiemur à celeberrimis quinque Articulis qui anno 1663 à quibuſdam Theologis Gallicanis exhibiti fuere Illuſtriſſimo Epiſcopo Convenarum, & ab illo Antiſtite miſſi ad Pontificem Alexandrum VII ; quos hîc, etſi ſæpiſſimè typis editos, inſeremus.

(1) Expoſitio Doctrinæ Cathol. Art. 21. ex latinâ interpretatione Claudii Fleuri, ab ipſo Boſſueto recognita.

ARTICULUS PRIMUS.

» Cùm ex S. Auguſtini ſententiâ, quam tota S. Thomæ Schola de-
» fendit, gratia efficax voluntatem indeclinabiliter & infallibiliter, ci-
» trà tamen neceſſitatem, vi divinæ motionis flectens & determinans,
» ad ſingulos chriſtianæ pietatis actus neceſſaria ſit, nunquam contingit
» ut vel oremus ſicut oportet, niſi cum ea operatur ut oremus, nobiſ-
» que interpellandi & gemendi inſpirat affectum; nec ut Dei mandata
» ſervemus, niſi cùm illa facit ut in præceptis ejus ambulemus; nec
» denique ut inimici tentationes ſuperemus, niſi cùm nobis victoriam
» largitur: Et tamen cum nonnunquam Juſti tentationibus ſuccumbant,
» & in varia peccata prolabantur, etiam cum illa vitare imperfectè ac
» remiſsè volunt atque conantur; manifeſtum eſt Juſtis illis, in illo im-
» perfectæ ac remiſſæ voluntatis ſtatu, vitio licet ſuo mandatum vio-
» lantibus, efficacem illam & victricem, quâ præſente numquam vin-
» cimur, gratiam non adeſſe.

» De his ergo Juſtis quibus illa magna non adeſt gratia, licet parva
» & imperfecta non deſit, verè utrumque dici poteſt, & potuiſſe illos
» Dei mandata ſervare tentationique reſiſtere, eoſdemque alio ſenſu
» non potuiſſe. Potuerunt enim prorsùs, quia non ſolum liberi arbitrii
» virtutem & gratiam habitualem habuerunt, ſed etiam gratiam actua-
» lem quæ ſufficiens dici poteſt Thomiſtarum ſenſu, qui gratiæ per ſe
» efficacis neceſſitatem ſupponit.

» At quia, abſente gratia efficaci, nunquam contingitut voluntas ſicut
» oportet tentationi reſiſtat, conſtanſque eſt apud Thomiſtas dogma
» gratiam ſufficientem ab efficaci ſeparatam non complecti omnia ad piè
» agendum neceſſaria; ideo uſitatiſſimâ ſcripturis Patribuſque locutione,
» & Thomiſtis omnibus probatâ, hoc ſenſu dici poteſt, Juſtos illos
» ejuſmodi ſufficienti gratiâ inſtructos, tentationi cui ſuccubuerunt re-
» ſiſtere non potuiſſe: quia nimirum ejuſmodi poteſtatem non habue-
» runt quæ complecteretur omnia ad agendum neceſſaria; cùm gra-
» tiam efficacem ad agendum utique neceſſariam non habuerint.

» Quare cùm dicimus, nos ſine gratiâ per ſe efficaci non poſſe agere,
» id hoc uno ſenſu intelligimus, eum cui deeſt gratia illa per ſe effi-
» cax, non habere omnia quæ requiruntur ad actu agendum.

II,

II.

» Gratia interior duplex eſt ; alia efficax quæ ſemper producit illum
» effectum ad quem impellit voluntatem ; alia inefficax, quæ volunta-
» tem excitat ad effectum quem non producit.

» Prior gratia ea eſt, quam ſimpliciter, propriè & abſolutè efficacem
» Thomiſtæ vocant. Huic reſiſti quidem ſemper poteſt, ut iidem do-
» cent ; at nunquam ita reſiſtitur, ut effectu illo privetur ad quem im-
» pellit voluntatem : quod aliis verbis ſic exprimunt, ut reſiſti poſſe
» dicant in ſenſu diviſo, non autem in ſenſu compoſito.

» Secunda autem ea eſt, quam tum excitantem, tum inefficacem,
» tum ſufficientem, idem ſignificantibus verbis, vocant. Huic verè re-
» ſiſtit ac renititur voluntas, eamque eo effectu privat ad quem exci-
» tat, & ad quem poteſtatem largitur, ſuperiùs explicato Thomiſta-
» rum ſenſu, ſufficientem. Poteſt quidem illi voluntas conſentire, nec
» tamen, ſi abſit gratia efficax, unquam conſentit, non defectu antece-
» dentis poteſtatis, ſed liberâ ſui ipſius in oppoſitum determinatione.

» Sed quamvis illa gratia per ſe ſpectata, effectu illo careat ad quem
» tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem
» Dei voluntatem deſtinatur, adeoque falſum ſit hoc ſenſu, omnem
» Chriſti gratiam ſemper habere eum effectum quem Deus vult ; ſi
» tamen ſpectetur ut cum abſoluta Dei voluntate conjuncta, meritò
» hoc ſenſu efficax dici poteſt, quia ſemper id in corde hominis opera-
» tur quod Deus abſolutâ voluntate intendit. Certum eſt enim apud
» Thomiſtas, auxilium ſufficiens reſpectu unius actûs, ſemper eſſe efficax
» reſpectu alterius ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ vo-
» luntatis deſtinatur ; adeòque apud illos omnis gratia eſt efficax ali-
» cujus effectûs, ejus nimirùm ad quem proximè ordinatur, & quem
» Deus abſolutâ voluntate intendit, juxta illud Iſaïæ : *Verbum quod*
» *egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque*
» *volui.*

III.

» Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non ſufficit
» libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate. Quamvis
» enim gratia per ſe efficax infallibiliter & inſuperabiliter voluntatem

» ad agendum determinet, atque ità numquam voluntas illi actu diſ-
» ſentiat; non tamen inducit neceſſitatem, quia non tollit diſſentiendi
» poteſtatem. Eſt ergo perpetuò in homine lapſo illud quod Thomiſtæ
» ſtatuunt activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil ve-
» tat, dummodo ab hoc verbo ſemoveas illum ſenſum, ut voluntas
» per efficacem gratiam mota credatur nunc conſentire, nunc diſſen-
» tire, ſive quod idem eſt, nunc actualem conſenſum, nunc verò
» actualem diſſenſum cum ejuſmodi gratiâ componere.

I V.

» Tantum abeſt ut Semipelagiani ideò heretici fuerint, quod dice-
» rent gratiæ nos conſentire & diſſentire poſſe; ut potiùs certum &
» minimè dubium ſit, cuicumque gratiæ, etiam efficaci, reſiſti poſſe;
» id eſt, cum quâcumque gratiâ ſimul remanere activam, atque ut ſuprà
» dictum eſt, proximam diſſentiendi poteſtatem: licèt actu, ut etiam
» ſuprà dictum eſt, nunquam efficaci gratiæ diſſentiatur.

V.

» Gratuitæ prædeſtinationis doctrina maximam jure merito apud
» omnes Scholas catholicas auctoritatem obtinet. Hujus autem doc-
» trinæ hæc ſumma eſt ab omnibus ejus defenſoribus recepta: Solis
» electis, ſi ſpectetur non antecedens, ſed abſoluta & efficax Dei vo-
» luntas, ſalutem æternam abſoluto Dei decreto deſtinatam eſſe, cum
» eâ gratiarum ac beneficiorum ſerie quibus certiſſimè liberantur qui-
» cumque liberantur; quorum beneficiorum utique præcipuum eſt per-
» ſeverantiæ donum, quod nemo proprium eſſe prædeſtinatorum in-
» ficiatur. Hinc ſequitur, Chriſtum, cujus abſoluta voluntas paternæ
» ſemper conformis extitit, hoc decretum, nec precibus nec morte
» ſuâ, ſimpliciter & abſolutè mutare voluiſſe. Itaque ſolis illis abſolutè
» & efficaciter promereri voluit ſalutem æternam & perſeverantiæ
» donum, quos ſibi à Patre datos, & de manu ſuâ à nemine raptum iri
» in Evangelio dicit. De his capitibus apud omnes gratuitæ prædeſti-
» nationis defenſores convenit, quibus ea tantùm Chriſti mortis om-
» nibus impenſæ generalitas excluditur, quâ collatæ omnibus homini-
» bus aſſeruntur gratiæ iſtæ ſufficientes, ut præterea efficacem ad vo-
» lendum ſeu operandum non requirant.

Digitized by Google

» Sed hac opinione demptâ, nihil obſtat, imò prorſus veritati con-
» ſentaneum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus
» mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe; tum quia antecedenti voluntate
» ſalutem omnium voluit, tum quia ſufficiens pro omnibus pretium
» obtulit. Falſum autem eſt & hæreticum dicere, Chriſtum pro ſa-
» lute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe; cùm multis reprobis
» omnibuſque adeò juſtificatis gratias traditâ à Thomiſtis notione ſuffi-
» cientes meruerit, quibus ad ſalutem pervenire poſſent: quamvis
» nemo iis benè utatur, & in acceptâ juſtitiâ perſeveret, niſi uberio-
» ribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur.

Hos articulos laudarunt & adoptarunt præcipui Thomiſticæ Scholæ Scriptores, qui poſt annum 1663, de materiis illis tractavere, uti Gonetus tom. 1. Clypei Theol. Thom. in Apolog. art. 8, n. 134. Contenſonius Theol. mentis & cordis lib. 8, Diſſert. 5, §. 1. Seraphinus Picinardus, tom. 3, de Approb. Doctrinæ S. Thomæ, lib. 2, art. 2. Jacobus à S. Dominico in Compendiaria Theol. Mor. explicat. lib. 2, cap. 3 & 11. Norbertus d'Elbecque in Theſibus de locis Theologicis defenſis montibus Hannoniæ 15 Julii 1699, edit. 2. Quibus addi poſſent non pauca alia Thomiſtarum nomina; quin imò univerſa Schola Thomiſtica in teſtimonium advocari poſſet, uti patebit omnibus Doctrinæ illius Scholæ peritis, qui eam cum dictis articulis seriò conferre voluerint. Unde & cùm Romæ à quibuſdam Thomiſticæ Doctrinæ adverſariis contrà articulos illos aliquid tentaretur ſub Innocentio XII, eorum defenſionem ſuſcepere præcipui quique Dominicanæ Familiæ Præpoſiti, atque imprimis celeberrimus Theologus Antonius Maſſoulié.

Eoſdem articulos adoptarunt, & pluries ſuis Opuſculis aut Theſibus integros inſeruerunt præcipui quique Doctores Lovanienſes, in quibus ſingulatim conſiderari meretur Martinus Steyartius Janſeniani voluminis acerrimus impugnator, qui & articulos adoptat in ipſis ſuis contra Janſenium ſcriptis, ut in reſponſione brevi ad redargutionem, quæ inter ejus Opuſcula extat.

Sed & inſuper, quod hîc præcipuum eſt, dicti articuli ter fuere oblati ſanctæ Sedi, & illius juſſu examinati. Primum, uti ſupra diximus, ſub Alexandro VII, anno 1663: iterum anno 1689, adjuncto libello ſupplice ad Alexandrum VIII, qui libellus, à verbo initiali,

Digitized by Google

Coram dictus eſt : ac deniquc ſub Innocentio XII, anno 1692, memoriali in eum finem oblato à Doctore Hennebel Deputato Academiæ Lovanienſis. Non ſolum verò poſt quodlibet examen illæſi abierunt articuli, utpotè qui nullos unquam habuere accuſatores præter gratiæ per ſe efficacis hoſtes, ſed & ſatis explicitè ab Alexandro VII. approbati videntur, dum illorum occaſione Brevi dato ad Gallicanos Epiſcopos 29 Julii 1663, gaudium ſuum teſtatus eſt Pontifex, quòd Theologi quos longè aliter ſentire ſuggeſtum erat ſuæ Sanctitati, jam ad ſaniorem Doctrinam inducti eſſent : quo omninò declarare videtur Pontifex, ſanam eſſe articulorum Doctrinam. Unde mirum non eſt, quòd libellus pſeudonymus adverſus articulos illos ex profeſſo ſcriptus ſub hoc titulo, *Fraus quinque articulorum* ...... *demonſtrata* per Cornelium à Craneberg, à Congregatione S. Officii prohibitus fuerit 19 Martii 1692.

Non eſt itaque dubitandum quin & hodie ſanctæ Sedi grata ſit ea Doctrina de gratiâ, de libertate, de prædeſtinatione, quæ articulis illis continetur. Quoad alias autem controverſias, quæ tamen vel omnes vel penè omnes aliquam cum his affinitatem habent, adoptamus ſequentes articulos anno 1677 oblatos Innocentio XI à Doctoribus Theologis Deputatis ab Academiâ Lovanienſi, Franciſco Van Vianen, Chriſtiano Lupo, ex Ordine PP. Auguſtinianorum Scriptore eruditiſſimo, & Martino Steyartio : quorum articulorum ne unus quidem à ſanctâ Sede improbatus fuit, dum interea adverſariorum opiniones 65 ex iis quæ à dictis Deputatis Pontifici denuntiatæ fuerant, ab eodem Pontifice fuerunt proſcriptæ.

ARTICULI THEOLOGICI,

Quos Theologica Facultas Almæ Univerſitatis Lovanienſis, Innocentio Papæ XI, per ſuos Deputatos, anno 1677, tranſmiſit ac obtulit judicandos.

De Ignorantiâ, Probabilitate, & malitiæ actûs humani inadvertentiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

» Duo innata ſunt vitia originalia; concupiſcentia & naturalis ignorantia.

» 2. Uti nulla concupiſcentia eſt inſuperabilis, ita nulla ejuſmodi » ignorantia eſt invincibilis.

» 3. Quippe ſicuti omnis illa per divinæ gratiæ auxilium, ita omnis » hæc per ejuſdem gratiæ lumen ſuperari poteſt.

» 4. Opera igitur noſtra naturali legi contraria, quæ ex tali igno- » rantiâ procedunt, à peccato plenè excuſari nequeunt, ne favore qui- » dem illius veriſimilitudinis aut probabilitatis.

» 5. Ad ſummum poſſet ſubindè mortalis macula diluî in venialem.

» 6. Quod ipſum tamen locum non habet in his peccatis, quæ primis » naturalis & æternæ legis principiis aut manifeſtioribus ejus præceptis » adverſantur.

» 7. Uti de peccatis carnalibus dilucidè docet S. Aug. Expoſit. in- » choata in Epiſt. ad Rom. ea, ne in ipſis quidem pueris & adoleſcen- » tibus, à mortali malitiâ expurgari per ignorantiam.

» 8. Si autem actum legi æternæ & naturali contrarium nunquam » plenè excuſet iſtius legis ignorantia, multò minus ſimplex inadver- » tentia, ſeu non reflexio ad malitiam.

De Virtutibus Theologicis.

ARTICULUS PRIMUS.

» Fundamentale ac primarium legis æternæ Mandatum eſt : diliges » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut te- » ipſum.

» 2. Vocem *caritas* tametſi aliqui Scholaſtici accipiant pro ſola illa » dilectione, quæ eſt noſtra cum eo per peccatorum remiſſionem ami- » citia, S. Auguſtinus & alii Patres eam ſumere ſolent pro quavis ſu- » premi boni caſtâ propter ſe dilectione : *Quaſi vero* (inquit Aug.) » *aliud ſit bona voluntas quàm caritas.*

» 3. Hinc idem S. Doctor diſtinguit caritatem natam, nutritam, » adultam, robuſtam, perfectam ; & hanc duplicem, aliam præſentis, » aliam futuræ vitæ : quæ diſtinctio frequenter placet etiam Sancto » Thomæ.

» 4. Itaque caritas & cupiditas generatim ſumpta non ſunt aliud » quàm bona & mala voluntas : Sunt bona & mala radix, quarum hæc » ſolos malos, illa proferre poſſit ſolos bonos fructus.

Digitized by Google

» 5. Omne opus, ut plenè bonum ſit, & ne venialiter quidem in » eo delinquatur, debet ex tali caritate procedere, ac per ipſam re- » ferri in Dominum Deum: *nec enim teſte Auguſtino, fructus eſt bonus,* » *qui de radice caritatis non ſurgit.*

» 6. Attamen iſta relatio per caritatem perfectam fieri non debet: » ſufficit eam fieri per caritatem imperfectam.

» 7. Sed neque neceſſaria eſt relatio ex caritate actuali, ſive ex » caritate ſuper quam fiat actualis reflectio.

» 8. Hæc namque continua in operibus noſtris reflectio eſt multis » hujus vitæ diſtractionibus impoſſibilis.

» 9. Sufficit ergo quod opera noſtra per caritatem virtualem in » Deum referantur.

» 10. Continua virtualis dilectio verſari debet non ſolum circa Deum, » ſed etiam circa proximum. Abſit ut Chriſtiana juſtitia contenta » ſit hunc ſolummodò non odiſſe, aut illi ſola externa impendere » officia.

» 11. Par nobis obligatio eſt fidei & ſpei: etiam per hos obligamur » Divinæ Majeſtati continuò, ſaltem virtualiter, adhærere.

» 12. Fides debet eſſe aſſenſus firmiſſimus. S. Clemens Alexandrinus » rectè docet firmiorem eſſe omni demonſtratione. Quare, quicum- » que cenſet eſſe poſſe probabilem dumtaxat æſtimationem, jam pri- » dem damnatus eſt in Petro Abaïlardo.

» 13. Debet eſſe non naturalis aut latè dicta, ſed omninò ſuper- » naturalis & innixa auctoritati Dei loquentis, per quam credantur quæ » divinitùs revelata & promiſſa ſunt.

» 14. Ad juſtitiam & ſalutem neceſſaria fides debet expreſſè tendere » in unam Divinæ Majeſtatis eſſentiam, ac in tres perſonas, item in » Deum remuneratorem, etiam in Chriſtum mediatorem. Noviſſe » debet ejus Incarnationem, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, &c.

» 15. Horum omnium expreſſa fides eſt neceſſarium juſtificationis me- » dium. Quicumque vel unum eorum ignorant, licet baptiſati ſint, » ſunt ex illorum numero de quibus ad S. Petrum Alexandrinum cla- » mavit olim Angelus: *Ut quid hùc jactatis vacua marſupia?*

» 16. Hinc Epiſcopi, Presbiteri, Curati, aliique animarum directo- » res, rigidiſſimè obligantur fidelem populum de iis omnibus plenè » inſtruere; quod præceptum meritò innovavit Synodus Tridentina.

Digitized by Google

De Juramento, Mendacio, Homicidio, Luxuriâ, &c.

Articulus primus.

» Sic verbis utendum eſt, ut id quod dicitur, conſideratis ſimul cir-
» cumſtantiis quas obviè poſſit audiens intelligere, ſit conforme menti
» loquentis.

» 2. Si aliter fiat cum juramento, perjurium eſt; ſi citrà juramen-
» tum, mendacium: quorum neutrum ullâ utilitate, aut neceſſitate
» excuſari poteſt.

» 3. Non dedit Dominus vitæ & necis homini privato poteſtatem,
» ut res ſuas temporales, aut honorem, imò pudicitiam, cum invaſoris
» cæde tueatur.

» 4. Aliqui affirmant, injuſtum vitæ aggreſſorem poſſe occidi, ali-
» qui negant: Hi S. Auguſtinum, illi S. Thomam ſibi favere arbi-
» trantur.

» 5. Circa luxuriam ſpecialiter docet, poſt S. Auguſtinum, S. Tho-
» mam, & alios Patres ac Doctores, actum conjugii, ut omni de-
» fectu veniali careat, exerceri debere, vel generandæ prolis gratiâ
» quæ deindè Chriſto regeneretur, vel ut debito conjugali juſtitiæ
» ſatisfiat.

De Contritione, Confeſſione, &c.

Articulus primus.

» Frequens Confeſſio & Communio, dum rectè fiunt, plurimùm
» laudandæ ſunt & fructuoſæ.

» 2. Venialium etiam peccatorum, licet citrà culpam taceri &
» multis aliis remediis expiari poſſint, frequens Confeſſio, rectè ac
» utiliter fit & citrà omnem præſumptionem.

» 3. Servilis gehennarum metus nequaquam in ſubſtantiâ ſuâ malus
» eſt, ſed bonus & utilis: attamen ipſi ſoli inſiſtens attritio, etiam
» cum Sacramento, non ſufficit ad juſtificationem; quia ad accipien-
» dam hanc gratiam oportet credere, ſperare, ac Deum propter ſe
» diligere.

» 4. Vera attritio debet eſſe dolor animi ac deteſtatio de peccato
» commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, excludens vo-

» luntatem peccandi. Attamen non debet includere perfectam carita-
» tem, quæ hominem Deo reconciliet, priùs quàm hoc Sacramentum
» actu ſuſcipiatur.

» 5. Nihilominus eſſe debet, licet imperfecta, tamen vera Dei
» caritas, quâ pœnitens Dominum Deum tanquam omnis juſtitiæ
» fontem diligat, ideoque peccata ſua deteſtetur & oderit. Eam aliqui
» appellant caritatem affectûs ſuper omnia.

» 6. Pœnitens Confeſſario circa priorem, inveteratam præſertim,
» peccandi conſuetudinem, ex conducentibus ad ejus medelam rationi-
» bus interroganti, debet obedire.

» 7. Etiam exprimendæ ſunt circumſtantiæ intra eandem ſpeciem
» notabiliter aggravantes.

» 8. Abſolutionis denegatio aut dilatio quandoque eſt neceſſaria,
» quandoque utilis, quandoque perniciosa. Quare Confeſſario non
» ſolum ſcientia eſt neceſſaria, ſed etiam prudentia. A Domino Deo
» gratiam poſtulare debet diſcernendorum ſpirituum.

» 9. Dicta dilatio aut negatio, dum eſt dumtaxat utilis, non poteſt
» exerceri in pœnitentem invitum.

» 10. Cauſæ quæ ipſam faciant neceſſariam, ſunt præſertim tres.
» Prima, eſt ignorantia neceſſariorum articulorum fidei. 2ª. Defectus
» diſpoſitionis, puta Contritionis. Et 3ª. Proxima peccandi occaſio,
» quæ vel ex natura rei, vel ex qualitate perſonæ eſt talis.

11. Aliquot duarum poſtremarum exempla adducit in ſuâ Romanâ Synodo Gregorius VII. « Falſas Pœnitentias dicimus, quæ non ſecun-
» dum auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur.
» Ideoque quicumque miles & negotiator vel alicui officio deditus,
» quod ſine peccato exerceri non poſſet, ſi culpis gravioribus irretitus
» ad Pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel
» qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram Pœnitentiam non
» poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi
» arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio Religioſorum Epiſ-
» coporum pro defendenda juſtitia; vel negotium derelinquat; vel
» officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuſtè
» abſtulit, reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere
» poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illuſtret
» ad Pœnitentiam.

» 12.

» 12. Confeſſarius obligatur pro qualitate criminum & Pœnitentium » facultate ſalutares & convenientes injungere ſatisfactiones. Qui in- » dulgentiùs agit, & leviſſima quædam opera injungit pro graviſſimis » delictis communicat peccatis alienis.

» 13. Iſtius modi ſalutares Pœnitentias peccator acceptare, & ad- » implere tenetur.

» 14. Graviorum delictorum pœnitentiam ante abſolutionem explere, » eſt ex variis cauſis ſanctiſſimum. Iſtius tamen moris neceſſitatem » jampridem abſtulit materna Eccleſiæ clementia, nec videtur redu- » cenda, niſi ſic Eccleſiæ Romanæ videretur.

Si quid verò adhuc ſupereſt controverſiarum, quod in prædictis articulis non occurrat, id exprimitur in celeberrimis duodecim Articulis qui ab Eminentiſſimo Cardinali Noallio ad Apoſtolicam Sedem miſſi, & Romæ diligenter examinati fuerunt : quique non modo nullâ ſanctæ Sedis cenſurâ affecti ſunt, ſed inſuper Benedicto Papæ XIII adeo placuerunt, ut Pontificem optimum ad eorum poſitivam & publicam approbationem propenſiſſimum fuiſſe omnis tunc Europa didicerit. Proindè, confidimus SS. D. N. Benedicto XIV non ingratum fore, ſi & illos Articulos hìc inferamus & adoptemus. Continent illi quidem nonnulla quæ etiam in præinſertis articulis expreſſa ſunt; ſed malumus bis eadem dicere, quàm aliquid reſecando malevolis occaſionem ſuſpicionum præbere.

DUODECIM ARTICULI.

Articulus primus.

» Poſt Adæ peccatum, nemo deinceps veram juſtitiam aut ſalutem » æternam adipiſci potuit, abſque Mediatoris & Redemptoris fide, » modò magis modò minus explicita ſeu diſtincta, pro varietate tem- » porum & perſonarum.

» 2. Lex Moyſis vi propriâ neceſſariam ad implenda Dei præcepta » gratiam non conferebat.

» 3. Abſolutæ Dei voluntati nemo reſiſtit.

» 4. Ut in ſtatu naturæ lapſæ liberum hominis arbitrium peccare » aut mereri cenſeatur, non requiritur æqualis ad bonum & malum » facilitas, aut æqualis utrimque propenſio, nec æquales in voluntate » vires requiruntur.

» 5. Cœcis & obduratis omnem gratiam interiorem aliquando ſub-
» trahi in pœnam præcedentium peccatorum, multi & celebres Theo-
» logi, ſine erroris periculo, propugnant. Qui autem omni gratiâ deſ-
» tituti gravia peccata contraherent, coram Deo reos non nemo dicere
» audeat.

» 6. Præcipuum Religionis caput eſt divinum mandatum de dilec-
» tione Dei, à cæteris præceptis diſtinctum.

» 7. Omnium noſtrarum actionum ad Deum directio, res eſt præ-
» cepti, non conſilii tantùm: nec ſufficit ſi tendunt ſolum interpre-
» tativè ad Deum.

» 8. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu non cogitans, vel ex-
» preſſe ad malitiam peccati non advertens graviter peccat, Deum
» offendit.

» 9. Tutam ſalutis viam minimè ſectantur, qui in Sacramento Pœni-
» tentiæ non requirunt eam Dei dilectionem, quam ad juſtificationem
» in Baptiſmo ab adultis exigunt Concilium Arauſicanum ſecundum &
» Concilium Tridentinum.

» 10. Evangelicis præceptis & Eccleſiæ Regulis conſentanea eſt
» praxis, quâ differtur abſolutionis Beneficium Pœnitentibus graviſſi-
» morum aut publicorum ſcelerum reis; vel iis qui in peccati lethalis
» conſuetudine, aut occaſione proxima verſantur, vel iis qui inimici-
» tias deponere, ablata proximo ſuo bona vel famam honoremve reſ-
» tituere, ſcandala reparare renuunt, aut ſuâ culpâ procraſtinant; vel
» qui ſinceræ converſionis animi dubia exhibent ſigna; vel iis qui Myſ-
» teria Fidei aut Chriſtianæ vitæ præcepta addiſcere negligunt; vel
» generatim omnibus quos non ſicut oportet præparatos prudens Con-
» feſſarius judicaverit.

» 11. Scripturæ Sacræ lectio per ſe quidem utilis eſt, ſed omnibus
» & ſingulis hominibus neceſſaria non eſt ad ſalutem. Nec unicuique
» licet ſcripturas pro ſuo arbitrio aut ex privato ſpiritu interpretari,
» aut eas legere abſque debitâ Paſtoribus reverentiâ & obedientiâ, aut
» ſine ſincerâ animi ſubmiſſione erga Eccleſiam, cujus eſt de vero ſenſu
» & interpretatione Scripturarum judicare.

» 12. Si qua excommunicatio manifeſtè prohibeat veræ virtutis ac-
» tum, aut à vero præcepto avertat, injuſta ſimul ac invalida cenſenda
» eſt juxta Eccleſiæ Decreta. »

Digitized by Google

Cùm ergo omnes illi Articuli, quos huic Memoriali inſeruimus & adoptavimus, à ſancta Sede diligenter examinati fuerint, ac ne unus quidem illorum fuerit ab eâdem Sede condemnatus vel reprobatus; cùmque contineant quæſtiones omnes de quibus præcipuè controverſia fervet inter Catholicos; confidimus apud æquos judices, ac præſertim apud Sedem Apoſtolicam, per hanc apertiſſimam mentis noſtræ declarationem diſſipandas fore omnes ſuſpicionum nebulas, ſi quæ tamen illic offuſæ fuerint integritati Fidei & Doctrinæ noſtræ. Præſertim cùm liberè audeamus provocare quoſlibet adverſarios, ut oſtendant nos quidquam docuiſſe aut docere quod vel uni dictorum articulorum ſit contrarium. Quod ſi fortè, nonobſtante tam apertâ Declaratione, in aliquo Doctrinæ Articulo apud ſanctam Sedem clanculùm accuſemur aut ſuſpecti reddamur, ſuppliciter rogamus ut Sanctitas ſua id nobis jubeat ſignificari atque explicari. Omninò ſperamus nos illud tam dilucidè expoſituros, ut nulla prorſus ambiguitas ſupereſſe poſſit.

Sicuti autem ſollicitè cavemus, non modò ne ulli adhæreamus opinioni quæ contraria ſit alicui definitioni Eccleſiæ Catholicæ aut Fidei profeſſioni, ſed etiam ut ex illis ſententiis quæ inter Catholicos controvertuntur, eas ſequamur quæ perpetuæ Traditioni Eccleſiæ videntur conformiores; ita non minus ſtudemus ſervandæ Unitati Spiritûs in vinculo pacis. Hinc etſi in Articulis quos adoptamus, non pauci ſint qui à multis Theologis impugnantur, non pauci quos exiſtimamus ad integritatem Doctrinæ Catholicæ haud levis momenti eſſe, & ad ſalutem animarum plurimùm conferre; abſit tamen ut eos qui contrarias opiniones tuentur, vel ab Eccleſiæ Communione alienos cenſeamus, quamdiu Eccleſia controverſias illas ſupremâ autoritate ſuâ non determinavit; abſit & multo magis ut condemnemus eos qui de illorum Articulorum quibuſdam quoad verba potius diſſentiunt quàm quoad ſenſum. Atque ut paucis omnia complectamur, omnem Doctrinam quam Eccleſia Romano-Catholica tenet, tenemus; omnem quam illa damnat, damnamus, omnem quam tolerat, toleramus.

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA

Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajectenſis.

PARS SECUNDA.

De variis erroribus circa Fidem & Mores à Synodo damnatis.

REQUISITIO GENERALIS

D. Procuratoris Sanctæ Synodi, ac primùm circa errores libelli inſcripti : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c.

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

ADMONET nos Sanctus Petrus, *quemadmodum fuerint pſeudo-Prophetæ in populo Iſraël, ita futuros in nobis Doctores mendaces qui introducent ſectas perditionis.* (1) Hanc formidandam vidit quælibet ætas impletam prædictionem. Eccleſia ab Apoſtolis ad nos uſque ſemper habuit Fidei, morum, ac diſciplinæ impugnandos hoſtes; & hæc prælia omni ævo renovata, in quibus juxtà Chriſti promiſſa ſemper Victrix fuit, ac ſemper erit, ad finem uſque temporum perdurabunt. Si hæc ſcandala permittit Deus, non deſerit ſuos; imo ex ipſis tentationibus magis elucet eorum fides. Ubi nefandi illi errorum fabricatores inſidias ſuas in ruinam animarum ſtruunt, Deus ipſis ſemper opponit Paſtores ac *Doctores, quos dedit ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti, ut Fideles non circumferantur omni vento Doctrinæ, in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris* (2). In hoc igitur verſatur Paſtorum officium, *ut permanentes in ſanis Sermonibus Domini Noſtri Jeſu Chriſti* nihil doceant *niſi quæ didicerunt & credita ſunt ſibi* (3), & oves ſuas deterreant *à falſis Prophetis qui veniunt in veſtimentis ovium*,

(1) 2. Pet. 2. 1.
(2) Ad Eph. IV. 11. 12. & 14.
(3) 1. Tim. 6. 3.

intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces (1), id eſt, qui veritatis vultum mentiti, nonnihil moliuntur, ut incautos à Chriſto, qui eſt æterna veritas, abducant, eoſque ſpiritibus erroris ac mendacii tradant. Itaque ut omnes impleatis Paſtoralis Officii partes, nihil prætermittendum eſt vobis ut in Eccleſiis quibus præeſtis Catholica fides quam profitentur integra ſervetur, & vel minima zizaniorum veſtigia quæ inimicus homo diſſeminare ſtudet tollantur.

Inter hæc graviſſima quæ lugemus mala, hinc ſacri conventûs animadverſionem provocant cujuſdam alienigenæ apud nos degentis errores, quibus Eccleſiæ Batavæ integritatem maculare tentavit : Illinc Harduini ac Berruyerii è Jeſuitarum Societate falſæ Scripturarum interpretationes, hæreſes ac blaſphemiæ ; nec-non & Pichonii ex eâdem familiâ oriundi circà diſpoſitiones ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ requiſitas, molliores ac pernicioſæ regulæ ; aliorumque Caſuiſtarum laxa nefandaque principia, ad nihil aliud, tùm in Eccleſiâ tùm in Republicâ, niſi ad morum tranquillitatiſque publicæ ſubverſionem ſpectantia.

Ut autem in tantâ rerum copiâ ordinatè procedamus, denuntiationem noſtram exordiri juvat breviſſimâ errorum expoſitione illius alienigenæ, qui dùm ſe profitetur eſſe ex nobis, de multis tamen contra quæ ſentimus, temerè effutire auſus eſt in libro cui titulus eſt : « Précis » d'un Acte de dénonciation ſolemnelle faite à l'Egliſe, 1°. D'une » multitude de Bulles, de Brefs, &c. des Evêques de Rome, leſquels » renverſent la Religion & les Loix divines & humaines : 2°. Des » Evêques de Rome eux-mêmes & de leur Cour, comme auteurs des » maux & des ſcandales qui déſolent tout dans le troupeau du Sei- » gneur, dans le Temple & dans le Sanctuaire : » Id eſt, *compendium actûs quo ſolemniter ad Eccleſiæ univerſalis Tribunal deferuntur*, 1°. *Magna multitudo Bullarum, Brevium, &c. Epiſcoporum Romæ, quæ Religionem & jura tùm divina tùm humana convellunt* : 2°. *Ipſimet Epiſcopi Romæ non nec Romana Curia, tanquam malorum & ſcandolorum auctores qui omnia devaſtant, ſive in grege Domini, ſive in Templo & Sanctuario* (2).

Peſtilentis hujus operis auctor in Præloquio ſic admonet (3) : « J'ai

(1) 2. Tim. IV. 14. Math. VII. 15.
(2) P. 1.
(3) P. 6. 7.

» fait un acte en forme, par lequel je dénonce ſolemnellement à l'E-
» gliſe les Papes, leur Cour, leurs ſuppôts & leurs attentats : mais
» comme je ne publierai peut-être pas ſitôt ledit Acte, & que d'ail-
» leurs les maux croiſſent chaque jour avec rapidité, à la faveur du
» ſilence & de l'inaction dans leſquels tout le monde reſte enſeveli
» comme dans un ſommeil léthargique..... Je déclare que le précis
» très-court que je vais faire de mon Acte, doit paſſer lui-même pour
» une dénonciation juſte, véritable & ſolemnelle, que je fais à l'Egliſe
» univerſelle, de tous les maux que j'y exprime, & de tous ceux que
» je ne fais qu'indiquer, & de tous les Auteurs de tous ces maux & de
tous leurs fauteurs. Id eſt : *actum formulis omnibus inſtructum excudi, quo ad Eccleſiam ſolemniter defero Romanos Pontifices, eorumque Curiam, fautores ac facinora. Quia verò non citò hunc denuntiationis actum fortè in lucem proferam, & omnibus quaſi in lethargiâ jacentibus, magis ac magis prolabitur malorum lues, admoneo iſtud breviſſimum actus mei compendium, ipſummet habendum eſſe ut denuntiationem ad Eccleſiam, juſtam, veram & ſolemnem ſcandalorum omnium quæ ibi expreſſa aut tantùm indicata continentur.*

Si ſpectes totius operis formam, videas ſolùm quamdam rerum farraginem, nihil benè digeſtum, nihil uno tenore ſubſequens, ſed hùc illùc vagantem orationem. Ut autem iis tenebris lucem aliquam inferat Auctor, ad calcem ferè cujuſque paginæ dilucidationes annectere, notas notis aggerere, pluribus in locis monita dare, ſæpè addere nova, digredi atque emendare neceſſarium duxit ; undè compendium denuntiationis, quod hujus operis ſumma eſt, partem totius vigeſimam vix attingit.

Verùm ſi libellus iſte hâc ſolâ parte vitioſus eſſet, judicio publico eum permitteremus. Deploraremus tantùm hominis vanitatem qui, à nemine miſſus, ſeipſum dat tamquam Fratrum ſuorum lumen ac Doctorem, dùm ſola ejus ſcribendi ratio legentibus perpetuam incertitudinem parit & obſcuritatem. Non parva hæc vitia, ſed ſunt multò majora ; totus enim libellus impotentis animi furiis ardet, totus ſophiſmatibus, contumelioſis aut malignis dictis, factis adulteratis, mendacibus Scripturarum, Conciliorum, Patrum interpretationibus, denique & erroribus hæreſibuſque ſcatet. Si quæ vitia coarguit, quam longè abeſt ab illâ modeſtiâ exhibendâ, quàm Paſtoribus commendat Apoſtolus !

Aſperioribus verbis & effrenâ protervitate in ea ſemper defævit, ita ut ad acerbandos animos accommodatior, quàm ad eoſdem in viam veritatis revocandos videatur. Denique Auctor adeò errore captus eſt, ut portentoſa ſua ſomnia inauditâ audaciâ proferat. Quidquid fatur evidentiſſimum, demonſtratum, ſole clarius eſſe clamitat: ubi principium aliquod falſum in medium projecit, ad illud tamquam ad fontem luminis indeſinenter mittit.

Verùm raptim perſequamur denuntiatoris hujus opinationum ſeriem. Bullæ & Brevia Summorum Pontificum quæ initio ſui operis ad Eccleſiam defert, verſantur circa ea quæ Eccleſiam à 150 annis exagitant. Olim homo iſte, nulli par, velut cæteri Catholici cenſuræ æquiſſimæ quinque Propoſitionum Innocenti X, Alexandri VII, &c. Conſtitutionibus proſcriptarum, aſſentiebatur; hodiernâ die propoſitiones illas in ſe ſpectatas nihil niſi ſenſum catholicum exhibere vociferatur; quin etiam hos Romanos Præſules, illorumque Succeſſores impudenter inſimulat, quod doctrinam de gratiâ efficaci ac prædeſtinatione gratuitâ à Sancto Auguſtino propugnatam, ſuis Conſtitutionibus *formaliter damnaverint* (1). Fruſtrà Summi Pontifices, præſtantiſſimas illas veritates, quas ſemper tenuit Apoſtolica Sedes, multimodis teſtimoniis, ſive privatim, ſive publicè in Scriptis, quorum ſinceritas neminem latet, confirmarunt: iſte ſibi animo altè infixit Romanos Pontifices huic Doctrinæ infenſos eſſe; ejus calumniæ cœcâ mente excipiendæ ſunt, aut ab illo tela venenis infecta éffugere nequeas.

Auctor ultra progreſſus, ad Eccleſiam univerſalem defert ipſoſmet Summos Pontifices, eorumque curiam, fautores & facinora (2): quod propriè operis corpus totum conſtituit. Hic probris & contumeliis nullum modum adhibuit. Modò ſævit contra titulos *Papæ*, *Summi Pontificis*, *Vicarii J. C.*, *Capitis Eccleſiæ*, *Paſtoris cui tota Eccleſiæ cura commiſſa eſt* (3). Non concedit hos titulos Romanis Præſulibus, niſi ſenſu latiſſimo, qualis cæteris Epiſcopis convenire potèſt. Vocat autem eos *Deſpotas ac tyrannos* (4), quæ nomina ipſi videntur aptiora, ac magis conſona dominationi, quam, juxtà illum, jam dudum

(1) P. 177.
(2) P. 6.
(3) P. 25. & ſeq.
(4) P. 11.

uſurparunt Romani Pontifices. Modò magnâ vehementiâ cæremonias in electione & inauguratione Summorum Pontificum uſitatas inſectatur (1). Ritus per ſe irreprehenſibiles, ſi rectè intelligantur, ab homine iſto in neſaria ſcelera convertuntur (2). Modò in Cardinalium Collegium tamquam ſacræ Hierarchiæ deſtructivum invehitur, non attendens à primâ origine Cardinales fuiſſe Epiſcopos Papæ aſſiſtentes, Presbiteroſque ac Diaconos Romæ Titulares, & uſque ad id temporis hos titulos ab eis præferri (3). Modò ingenti ſævitiâ ruit in Indulgentias Jubilæi & cæteras ejuſmodi Romæ conceſſas, & in plurimas quæ ibi contorquentur excommunicationes. (4) Qui æquo animo eſſet Theologus, ſaltem non prætermiſiſſet Summos ipſos Pontifices conqueſtos eſſe quod pluries his de rebus abuſus in Curiam Romanam irreperent; complures Pontifices feriò operam dediſſe, ut hos abuſus emendarent, eoſque, ubi de his agebatur quæſtionibus, ſanæ ac luculentæ Concilii Tridentini Doctrinæ ſtandum eſſe, ſemper voluiſſe. Idem Theologus inter hæc quæ ad fidem pertinent & illa quæ diſputationibus Scholarum relinquuntur; inter hæc quæ formam tantùm ſpectant, & illa quæ ad verbum obſervanda ſunt, diſcrimen poſuiſſet, & ſcrupulos ſuos ac querimonias objeciſſet eâ modeſtiâ quæ pacis & unitatis amicum decet, non eâ feritate quæ immanem accuſatorem ſapit.

Verùm intra hos criminationis fines non ſe continet Denuntiator. Totam ſchiſmatis Græcorum culpam in Summos Pontifices conjicit (5). Quem ſi audias, *Eccleſia Græca ſemper amore pacis flagravit; & ipſi ſunt Præſules Romani à quibus non tantùm inter utramque Eccleſiam (Græcam ſcilicet & Latinam) exorta eſt diſcordia, ſed etiam interpoſiti obices quibus perfecta, quæ deberet inter eas eſſe, Communio ſubmovetur* (6). Qui vel levem Hiſtoriæ notionem habeat, haud difficilè intelliget quàm falſa & inſana ſit tam inſolens criminatio. Quò abripit denuntiatorem hic error! nimiâ affectione in Græcos propenſus, nullatenùs ad certiſſima Catholicæ Doctrinæ principia attendit: eòque devenit, ut Græcos, licet

(1) P. 25 & ſeq.
(2) P. 57.
(3) P. 45.
(4) P. 166.
(5) P. 42.
(6) P. 46 & 42.

ſchiſmaticos,

ſchiſmaticos, verè cum Eccleſiâ Catholicâ in unum corpus coire affirmet. Ut autem tàm inaudita commenta ſtatueret, neceſſe habuit nova de ſchiſmate excogitare principia. Diſtinguit itaque duplicis generis ſchiſmata. Prius eſt, cùm quis à *centro Eccleſiæ Catholicæ diſcedit;* illud autem centrum non eſt, juxta illum, Sedes Apoſtolica, ſed *Hierarchia, fides, profeſſio fidei, Tribunal ejuſdem Eccleſiæ, & omnibus ejus Sacramentis participatio* (1). Ejuſmodi ſchiſma, ſolum eſt quo ab Eccleſia univerſali divellimur. Aliud ſchiſmatis genus, illud eſt *quod ſpectatur veluti factum cum quadam Eccleſiæ portione, Eccleſiam non deſerendo, id eſt, neque illius fidem, neque profeſſionem fidei, neque Hierarchiam, neque Tribunal, neque Sacramentis omnibus participationem abjiciendo* (2). Atquì, pergit denuntiator, Græci cùm habeant eamdem fidem, eamdem Hierarchiam, idem Tribunal, eadem Sacramenta quæ habet Eccleſia Latina, centro Eccleſiæ univerſalis uniuntur. Ad hanc igitur Eccleſiam pertinent. Eorum ſchiſma, utpotè cum portione tantùm Eccleſiæ factum (3), non impedit quin Catholicæ Eccleſiæ membra ſint. Hinc concludit, cùm Concilium non ſit generale ubi abeſt ingens Eccleſiæ portio, nulla alia Concilia Œcumenica eſſe, quàm ea quibus adfuere Græci cum Latinis. Fatetur quidem denuntiator, ſchiſma Græcorum, licet eos ab Eccleſia univerſali non ſegreget, ſcandalum tamen eſſe; ſed id ſcandalum, ſi fidem ei adhibeas, non à Græcis qui à vero ſchiſmate *quam maximè alieni ſunt* (4) proficiſcitur, verùm à Romanis Pontificibus qui illud promoverunt, quique reconciliationi obſtant (5), & de malis quæ ex eo naſci poſſunt, Deo reddituri ſunt rationem (6).

Si centrum unitatis Catholicæ nihil aliud eſt quàm profeſſio unius fidei, & iiſdem Sacramentis participatio, ut oſtendere prætendit denuntiator, quivis à Sede Apoſtolicâ & ab omnibus Eccleſiis quæ Summum Pontificem ut Caput viſibile totius Eccleſiæ agnoſcunt, ſeparari poteſt, & tamen in Eccleſiâ Catholicâ permanere. Imo nullum unquam eſſet ſchiſma propriè dictum inter Eccleſias quæ nullam haberent inter ſe communicationem, modò eandem doctrinam tenerent.

(1) P. 126.
(2) P. 130.
(3) P. 133.
(4) P. 42.
(5) P. 134.
(6) P. 42. & ſeq.

Eò tendunt hæc falſa principia, ut primatus jure divino Petri ſucceſſori denegetur. Si quis enim profiteretur S. Petrum, ejuſque Succeſſores à Chriſto conſtitutos fuiſſe, ut eſſent Eccleſiæ Catholicæ Caput viſibile, illiſque attributam fuiſſe in alios Epiſcopos auctoritatem, is ſanè profiteri cogeretur neminem poſſe eſſe Catholicum, niſi hæc jura primæ Sedis agnoſcat, ac proindè cum eâ communicet. Præterea eadem principia eò ſpectant, ut ſummi Pontificis primatus etiam Jure Eccleſiaſtico non admittatur; nam dici non poteſt Eccleſiam univerſalem Romanis Præſulibus primatum tribuiſſe, ſi hujus Eccleſiæ portio notabilis illum primatum ſemper eis denegaſſet, ac etiam nunc denegaret.

Et reverà hanc falſam Doctrinam, conſequenter ad ſua de ſchiſmate principia, pleno ore tradit denuntiator. Ut invidiam concitet in Sedem Apoſtolicam cujus molitur excidium, primùm exaggerat vitia quæ ſe in Curiâ Romanâ deprehendiſſe exiſtimat: ſummos Pontifices ut tyrannos, uſurpatores Eccleſiæque hoſtes exhibet, eòque recidit is calumniarum fragor, ut, ad ſervandam fictitiam Græcorum Catholicitatem, Primatum Romani Pontificis neget tum divino, tum eccleſiaſtico jure. Quæ res illi tàm cordi eſt ut perpetuò dictitet *nullo Scripturarum textu probari poſſe, S. Petrum habuiſſe primatum ac ſuperioritatem ſupra cæteros Apoſtolos:* (1) *Romanum Epiſcopum, quemadmodum alii Præſules, Epiſcopum eſſe particularem, nullamque habere Juriſdictionem, nullam ſuperioritatem jure ſive divino, ſive eccleſiaſtico* (2) *ſupra cæteros Epiſcopos;* (3) *uno verbo Romanum Epiſcopum nihil poteſtatis habere, nihil Juriſdictionis, nihil honoris, quod non habeat ſimul & in eodem gradu quivis Epiſcopus.* (4)

Attamen quiſquis ſacræ Traditionis monumenta perlegit inficiari non poteſt, Concilia & SS. Patres primatum Romani Pontificis tanquam Petri ſucceſſoris, & quidem jure divino, ſuo teſtimonio confirmaſſe, hancque Doctrinam ab Apoſtolis in Eccleſiâ ſemper & ubique receptam & prædicatam fuiſſe. Hic conſenſus omnium ſæculorum æquitatis ac veritatis amicum moviſſet; ſed denuntiator qui nullâ aliâ re quàm ſui ingenii deliramento ducitur, nedùm regulæ ſeſe accommodet, eam

(1) P. 75. 80.

(2) Pluribus in locis denuntiator docet Jure eccleſiaſtico primatum honoris habere Summos Pontifices; ſic ſæpe in ſuo Compendio contra ſeipſum pugnat prout furore magis aut minus in Sedem Apoſtolicam actus eſt; ſed Primatum honoris & juriſdictionis Jure divino in toto opere conſtanter negat.

(3) P. 92.

(4) P. 86.

è contrario ad ſua principia inflectere non veretur : Patres ad arbitrium ſuum explanat, alioſque opponere aliis conatur ; ſed cùm videat hinc facilè expugnari poſſe, nullum modum ſervat, docetque conſenſum unanimem aut ferè unanimem SS. Patrum circa aliquod Doctrinæ caput certam non eſſe regulam ; ut autem latior campus adhuc ſibi pateat, idem aſſerit *de quâvis Doctrinâ generatim receptâ, & ſine ullâ reclamatione, in Eccleſiâ diſperſâ* (1), quamvis hæc Doctrina tanquam ad revelationem ſpectans prædicetur. Denique ut magis ac magis illud erroris ædificium conſolidet, ſtatuit huic doctrinæ tantum ut articulo fidei adhærere nos teneri, quæ ut talis ab Eccleſiâ definita eſt : Eccleſiam verò nihil definire niſi in Conciliis Œcumenicis.

His principiis velut armatus denuntiator, nihil reformidat, neque objecta, neque SS. Patrum textus, neque teſtimonia, ſive antiqua ſive nova quibus aſſeritur ſummi Pontificis primatus jure divino. Nam ſeptem prima Concilia generalia tantum admittit quibus adfuere Græci. Vult aliundè, ut modò dicebamus, nos ea dumtaxat credere teneri dogmata quæ ab Eccleſia definita ſunt, Eccleſiamque nulla dogmata definire, niſi in ejuſmodi Conciliis : cùm autem ſeptem prima Concilia generalia nihil de primatu ſummi Pontificis jure divino definierint, quia hæc quæſtio in diſputationem nondum venerat, ſequitur, & ipſe denuntiator expreſſis terminis aſſerit, hanc doctrinam tanquam *dubiam* & incertam habendam eſſe, licet teſtimoniis SS. Patrum atque Eccleſiæ diſperſæ documentis confirmetur.

Sic vulgò longiùs quàm primùm exiſtimabant, rapiuntur quicumque Doctrinâ Catholicâ tantiſper aberrant. Omnia Chriſtianæ Religionis dogmata, tanquam ejuſdem corporis membra, indiviſè connectuntur. Si unum divellas, abrumpitur traditionis catena, atque invitus, ni pedem referre audeas, ex errore in errorem præceps ruas.

Denique denuntiator, poſtquam omne acerbitatis ſuæ in ſummos Pontifices virus evomuit, impotenter aggreditur Epiſcopos, ita ut abſque injuriâ annumerari poſſit iis hominibus, de quibus ait ſanctus Juda, *dominationem ſpernunt, Majeſtatem autem blaſphemant.* (2) Nullâ re magis irritatur contrà primos Paſtores, quàm quod, ut ait, in Præſ-

(1) P. 83.
(2) Jud. 8.

biteros *dominationem exercent*, (1) quam dominationem atris depingit coloribus.

Verùm etſi in Eccleſiâ reperirentur Epiſcopi quales exhibet, cùm malis quæ tam deploranda illi videbantur mederi non poſſet, quid ei reliquum eſſet, niſi, ſervatâ Epiſcopis debitâ reverentiâ, gemitus edere, omnibuſque votis exoptare ut hos abuſus reformaret Eccleſia. At denuntiator qui ſemper ad extrema deſcendit, nedum mala quæ ſibi fingit in Eccleſiâ verſari, deflere ſatis habeat, erumpit in ipſam Epiſcoporum auctoritatem. Cum hæretico Aerio contendit *Epiſcopatum non eſſe inſtitutionis divinæ, ac Chriſtum nullum inter eos quos Sacerdotes inſtituit diſcrimen poſuiſſe, ita ut Epiſcopi & Præsbiteri, omnes & ſinguli, Sacerdotii plenitudinem integram, ſolidam, totam ac prorſus individuam poſſideant* (2).

Itaque ex denuntiatore, Chriſtus, ſacrum Miniſterium inſtituendo, voluit in Eccleſiâ perfectam eſſe Anarchiam. Papa, Epiſcopi & Presbiteri, ſi tantùm jus divinum ſpectetur, omninò pares ſunt, ſive quoad caracterem, ſive quoad dignitatem & juriſdictionem. Si hodie, ut omnibus retrò ſæculis, variis auctoritatis gradibus Sacerdotes diſtinguntur, id oritur, juxta eumdem denuntiatorem, ex inſtitutione merè humanâ quæ pro variis temporibus mutari poteſt, quamque, ſi poſſet, ipſe exinaniret.

Hi ſunt præcipui errores quos in opere inſcripto: *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. annotavimus. Auctor inficias ire non poteſt errores illos quos *veritates* appellat, ab omni Eccleſiâ Catholicâ repudiari; ſed ille non ſolum conſentione illâ Paſtorum & populorum qui primatum Petri Succeſſoris jure divino agnoſcunt, &c. non motus eſt: verum etiam eâ ipſâ adductus ut ad Eccleſiam illos omnes deferat tamquam fautores facinorum quæ ementitè ſummis Pontificibus exprobrat; ſcilicet quâdam vertigine perculſus, Eccleſiam ad Eccleſiam defert. Id, credo, ſufficeret ut contra tot errores & calumnias, Fideles premunirentur; at denuntiatoris in dicendo audacia, ſophiſmata quibus totum ejus opus refertum eſt, facta falſò expoſita, textus depravati aut ad arbitrium contorti, quoſdam qui non ſatis à novitate præcavent, decipere fortaſſè poſſent.

Quapropter planè neceſſarium exiſtimavimus, ut pericula quæ Fide-

(1) P. 150.
(2) P. 145.

Digitized by Google

ſibus imminent, avertantur, & ſacrum fidei depoſitum integrum ſervetur, deferre ad hanc ſanctam Synodum opus illud erroribus & fallaciis ſcatens: & requirere ut perverſa quæ in eo continetur doctrina, cenſurâ ſolemni notetur.

Aliud etiam addere neceſſarium ducimus, nempè denuntiatorem his præteritis diebus miſiſſe ad nos circularem Epiſtolam typis impreſſam, quam miſit quoque ad omnes Paſtores nobis adhærentes. In hâc Epiſtolâ quæ præcipuè videtur ſcripta ut concitet inter ſanctæ Synodi membra diſcordiam, omnes errores quos ad vos modò denuntiavimus, confirmat, iiſque novos adjicere non veretur, aſſerendo *profeſſionem fidei nihil continere debere niſi veritates fidei revelatas & contentas ad Litteram in ſcripturâ:* (1) *omnem traditionem circà Doctrinam quæ non eſt ſcripta in libris ſanctis, non poſſe vocari Traditionem Evangelicam, nec Traditionem Apoſtolicam:* (2) *Concilium Tridentinum* (quod contrarium definivit), *poſuiſſe inter dogmata fidei res oppoſitas Scripturis à Spiritu Sancto inſpiratis, &c.* (3) Scilitet denuntiator abſolutè rejicit traditionis auctoritatem.

Hunc novum errorem Synodo deferimus, quo magis ac magis auctor ille exhibet ſe Eccleſiæ Catholicæ Doctrinæ adverſarium.

Nota. *Auditâ requiſitione generali D. Procuratoris, plures Congregationes inſtituit ſancta Synodus ad expendendam Doctrinam operis inſcripti:* Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle, *&c. Nec-non varios errores Harduini & Berruyerii, Pichonii, & recentiorum Caſuiſtarum circa fidem & mores.*

(1) P. 98.
(2) Ibid.
(3) P. 94.

RELATIONES

*DEPUTATORUM**

PRIMÆ CONGREGATIONIS,

De Libello cui titulus : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c.

RELATIO PRIMA.

De quinque Propoſitionibus ab Innocentio X & Alexandro VII damnatis.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

EXCUSSA, prout à Synodo mandatum fuit, ſententiâ auctoris libelli cui titulus præfigitur : *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. De quinque propoſitionibus damnatis ſummorum Pontificum Innocentii X & Alexandri VII Conſtitutionibus (1), animadvertimus auctorem, temeritate inauditâ, aſſerere propoſitionum iſtarum germanum ac *naturalem ſenſum* prorſùs eſſe catholicum, ſeque id poſſe *evidentiſſimè demonſtrare* (2).

* Etſi relationes Deputatorum non ab univerſâ Synodo, ſed à privatis tantùm Congregationibus elaboratæ ſint ac concinnatæ, attamen ſtatuit ſacer Conventus, ut, ad majorem Doctrinæ quam aſſeruit intelligentiam, in acta referrentur & ante unumquodque Decretum deſcriberentur.

(1) Conſtitutio Innocentii X, *Cum occaſione*, datâ die 31 Maii 1653. Conſtitutio Alexandri VII *Ad ſacram*, datâ die 16 Octob. 1656.

(2) Opus inſcriptum : *Réponſe de l'Auteur du renverſement*, &c. Illud opus denuntiatoris reperitur in eodem volumine ante opus inſcriptum : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. Item, *Renverſement de la Religion*, &c. tom. 1. p. 194. tom. 2. p. 393. & alibi.

Non idcircò denuntiatorem incuſamus, quod gratiam neceſſitantem inducat, aut alium quemvis errorem V Propoſitionibus comprehenſum; quamvis enim ſubinde locutionibus utatur minus accuratis, idem omninò ac Theologi catholici de doctrinâ gratiæ per ſe efficacis & prædeſtinationis gratuitæ ſentire videtur. Verùm ſibi finxit in animo, licet ipſâ evidentiâ reluctante, V Propoſitiones in ſeipſis ſpectatas nihil aliud quàm ſanam hanc doctrinam enuntiare. Quo falſo præjudicio abreptus, omnium conſenſu & ipſiſſimis etiam Propoſitionum vocibus impugnato, furens inſectatur ſummos Pontifices quos exhibet velut infenſiſſimos Eccleſiæ hoſtes qui ab annis centum & quinquaginta omnia experti ſunt ut veram de gratiâ Chriſti doctrinam è medio tollerent, ac *tandem eò devenere iniquitatis & audaciæ, ut eam FORMALITER damnaverint* (1).

Mendaci hac inſimulatione prodit denuntiator animum imperitiâ vel anticipatis opinionibus vehementer occupatum. Quem enim latet divi Auguſtini doctrinam de gratiâ & prædeſtinatione indeſinenter ab Eccleſiâ Romanâ fuiſſe probatam? Quem latet ſummos Pontifices quâlibet ætate ſanctiſſimi Doctoris contra Pelagianos & Semipelagianos volumina iis indixiſſe qui circà tanti momenti quæſtiones Catholicum dogma addiſcere cupiebant? Fatemur quidem, deſinente ſæculo decimo ſexto, hæc documenta ipſo in Eccleſiæ gremio impugnata fuiſſe. Attamen quidquid moliti fuerint adverſarii, doctrinam de gratiâ per ſe efficaci & prædeſtinatione gratuitâ in Catholicis Scholis, ab his etiam temporibus, traditam videmus; nec obſtitit unquam Eccleſia Romana, quinimò laudavit. Hanc ſaluberrimam doctrinam Conſtitutionibus Innocentii X & Alexandri VII adeo non intendit *damnare* ſancta Sedes Apoſtolica, multò minus *FORMALITER damnare*, quemadmodum aſſeruit denuntiator, ut etiam memorati Pontifices palam declaraverint, Doctrinæ Chriſtianæ capita de gratiâ & prædeſtinatione ab Auguſtino tradita & defenſa, à ſe ne minimum quidem attentata fuiſſe, eaque apertè vocaverint *inconcuſſa*, *tutiſſimaque dogmata* (2).

Norunt omnes hæc Apoſtolicæ Sedis teſtimonia. Norunt etiam ſummos Pontifices poſt Conſtitutionem *Unigenitus*, quam objicit denuntiator, nunquam ab eâdem ceſſiſſe doctrinâ. Hic temerarius auctor dam-

(1) Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle, p. 176. 177.
(2) Brev. *Litteras* Alexandri VII ad Doctores Lovanienſes. 7. Aug. 1660.

nat tanquam inſufficiens quidquid in hoc negotio, ut hæ veritates in tuto ſervarentur, verè filialiter ſuo loco & tempore tùm in Epiſcopali, tùm in quocunque Clericali Ordine actum fuerit. Quod ad noſtras verò attinet Eccleſias, ſatis abundè conſtat nos his veſtigiis inhærentes in talibus nec ſanctæ Sedi, nec univerſali Eccleſiæ, nec præſertim ipſi unquam veritati aut Chriſtianæ ſinceritati defuiſſe. Sed nùm ideò impediri poſſumus quin hominis pervicacem retundamus temeritatem, dum ait *ſummos Pontifices tandem eò deveniſſe iniquitatis & audaciæ*, ut doctrinam de gratiâ per ſe efficaci ac prædeſtinatione gratuitâ *FORMALITER damnaverint?*

Quid enim validiùs Benedicti XIII teſtimonio noſtrâ hac ætate prolato, quid luculentiùs? In Brevi *Demiſſas preces* (1), & in Bullâ *Pretioſus* (2) manifeſtè declarat ſanctiſſimus Pontifex, *ſententias de gratiâ per ſe & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuitâ prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum à ſanctis Doctoribus Auguſtino & Thomâ* ſancitas, *verbo Dei, ſummorumque Pontificum & Conciliorum Decretis & Patrum dictis conſonas eſſe* (3); ac *ſub divini interminatione judicii, iterumque ſub canonicis pœnis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus* mandat, *ne* hanc certiſſimam *doctrinam ullatenùs dicto vel ſcripto contumelioſè impetant* (4). Verba ſole clariora, quæ non indigent commentariis illuſtrari.

Clemens XII & Benedictus XIV eandem doctrinam nunquam ab Apoſtolicâ Sede *reprobatam* ac *damnatam* fuiſſe (5) diſertis verbis enuntiant; quodque inſigniùs eſt, eam ne dum proſcripſerint doctiſſimi Pontifices, aut ejus infregerint auctoritatem, è contrariò ipſam, Anteceſſorum exemplo, laudibus innumeris adornarunt. Bulla *Verbo Dei ſcripto* (6), & Brevia *Apoſtolicæ Providentiæ* (7), & *dum præterito* (8) id evidenter demonſtrant.

Quî poſſet denuntiator, renitentibus tam claris teſtimoniis, ſummos Pontifices accuſare quod doctrinam de gratiâ per ſe & ab intrinſeco

(1) Brev. *Demiſſas preces* Benedicti XIII. 6. Nov. 1724.
(2) Bull. *Pretioſus* Benedicti XIII. 26. Aug. 1727.
(3) Brev. *Demiſſas preces.* ſupra.
(4) Bull. *Pretioſus.* ſupra.
(5) Brev. *Apoſtolicæ Providentiæ* Clementis XII. 2. Octob. 1733. Brev. *Dum præterito* Benedicti XIV. 31. Jul. 1748.
(6) Bulla *Verbo Dei ſcripto* Clementis XII. 28. Aug. 1733.
(7) Brev. *Apoſtolicæ Providentiæ.* ſupra.
(8) Brev. *Dum præterito.* ſupra.

efficaci,

Digitized by Google

efficaci ac de prædeſtinatione gratuitâ *FORMALITER damnaverint?* Sin ei haud ſatis eſſet, quin Româ ad nos uſque delata ſcripta perſpiceret? Ex his, ſicut ex cæterarum regionum, quæ Catholico nomine glorientur, teſtimoniis, pro certo habuiſſet has pretioſiſſimas veritates Italicis in ſcholis vulgò edoceri, conſignari in theſibus, & in libris Theologicis publicâ auctoritate comprobatis, nec-non omnimodè Sedis Apoſtolicæ tutelâ fulciri. Ipſum tunc conviciorum quæ tam impudenter evomit, profectò puderet. Si votis expetiiſſet tantummodo inſulſus auctor ab Eccleſiâ procul amandari doctrinam Auguſtinianæ diſſentaneam, adeo ut Paſtores hanc heſternam nullomodo tolerarent novitatem, tali ejus ſtudio toto pectore plauderemus. At in ſummos Pontifices, denuntiatoris more, debacchari, eoſdemque toti Eccleſiæ quaſi juratiſſimos erroris patronos denuntiare, ſanè convicium eſt cunctis veritatem & juſtitiam colentibus, & unitati ſincerè addictis deteſtandum.

Itaque propoſitiones ſequentes ex opere cui titulus eſt: *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. excerptas ſanctæ Synodo deferimus.

I.

Voila ce que renferment en racourci les vérités de la grace (efficace par elle-même) & de la prédeſtination (gratuite). Ce ſont-là les vérités que Dieu ordonne de publier de race en race... Cependant ce ſont ces mêmes vérités que les Evêques de Rome défendent, ſous les punitions les plus terribles, d'annoncer, d'enſeigner & de publier ſous quelque prétexte que ce ſoit. Page 176.

I.

En compendium veritatum de gratiâ (per ſe efficaci) ac de prædeſtinatione (gratuitâ). Hæ ſunt veritates quas Deus omnibus & ſingulis generationibus pervulgari mandavit.... attamen Epiſcopi Romani prohibent, pœnâ graviſſimâ conſtitutâ, ne quis ſub quovis prætextu has ipſiſſimas veritates annuntiet, doceat vel prædicet.

II.

Les Evêques de Rome, par un progrès de hardieſſe & d'iniquité, en (ſont) venus juſqu'au point de les condamner FORMELLEMENT (ces vérités de la grace & de la prédeſtination). P. 176, 177.

II.

Romani Pontifices eò devenerunt iniquitatis & audaciæ, ut eas (gratiæ & prædeſtinationis veritates) FORMALITER damnaverint.

Eadem reperitur doctrina in alio ejuſdem auctoris opere inſcripto: *Renverſement de la Religion & des Loix divines & humaines par toutes les Bulles & Brefs donnés depuis près de* 200 *ans*, &c. Pref. p. IX, XII, XV, & tom. 2. p. 412, 413, 414, 426.

DECRETUM I[um].

I.

Declarat ſancta Synodus, doctrinam de *gratiâ per ſe & ab intrinſeco efficaci*, *ac de gratuitâ prædeſtinatione ad gloriam ſine ullâ præviſione meritorum*, *à ſanctis Doctoribus Auguſtino & Thomâ* traditam, *verbo Dei*, *Summorumque Pontificum & Conciliorum Decretis*, *& Patrum dictis conſonam eſſe.* (1)

I I.

Deteſtatur ſacer Conventus falſas criminationes eorum qui dicunt hanc ſanam & orthodoxam de *gratiâ per ſe & ab intrinſeco efficaci*, *ac de gratuitâ prædeſtinatione ad gloriam ſine ullâ præviſione meritorum* doctrinam fuiſſe à Summis Pontificibus *formaliter damnatam.*

Itaque damnat ſancta Synodus propoſitiones quæ ſibi denuntiatæ ſunt

Nempè :

I.

Voilà ce que renferment en racourci les vérités de la grace (efficace par elle-même) & de la prédeſtination (gratuite). Ce ſont-là les vérités que Dieu ordonnè de publier de race en race..... cependant ce ſont ces mêmes vérités que les Evêques de Rome défendent, ſous les punitions les plus terribles, d'annoncer, d'enſeigner & de publier ſous quelque prétexte que ce ſoit.

I.

En compendium veritatum de gratiâ (*per ſe efficaci*) *ac de prædeſtinatione* (*gratuitâ*). *Hæ ſunt veritates quas Deus omnibus ac ſingulis generationibus pervulgari mandavit . . . attamen Epiſcopi Romani prohibent*, *pœnâ graviſſimâ conſtitutâ*, *ne quis ſub quovis prætextu has ipſiſſimas veritates annuntiet*, *doceat*, *vel prædicet.*

I I.

Les Evêques de Rome, par un

I I.

Romani Pontifices eo devenerunt

(1) Brev. *Demiſſas preces* Benedicti XIII.

progrès de hardieſſe & d'iniquité, en (ſont) venus juſqu'au point de les *condamner formellement* (ces vérités de la grace & de la prédeſtination).

iniquitatis & audaciæ, ut eas (gratiæ & prædeſtinationis veritates) formaliter damnaverint.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, ut falſas, calumnioſas, in ſanctam Sedem & Summos Pontifices contumelioſas.

RELATIO II^da^.

De Schiſmate Græcorum.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

AUCTOR operis inſcripti: *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. cujus diſcutiendi Provinciam accepimus, probare aggreditur Græcos, qui tot ab hinc annis à nobis diſceſſerunt, non eſſe Schiſmaticos. Quod ut conſequi poſſit, duo in medium profert. Primò de ſchiſmate ponit principia quæ totidem ſunt errores. Deinde facta profert veris Hiſtoriæ monumentis contraria. Primum ejus principium, nempè quod fides ſit Communionis Eccleſiaſticæ centrum, cum hæreſi ſchiſma confundit. Qui pertinacitèr aberrat à fide, is præciſè non eſt Schiſmaticus, Hæreticus eſt. Ex ſecundo autem denuntiatoris principio, nefas non eſt à magnâ Eccleſiæ parte diſcedere, hoc eſt, licet ſchiſma facere. Factum ſubjicit, Græcos nempe ab Eccleſiâ non diſceſſiſſe.

I.

Horum principiorum prius jacet in paginâ 138. *Eo ipſo quod*, ait auctor, *aliquis eſt Hæreticus, etiam Schiſmaticus eſt, quia ab unionis centro, quod eſt Eccleſiæ fides, digreditur. Qui autem ab eo non digreditur, Schiſmaticus eſſe non poteſt.* Atqui Græci fidem ſervaverunt. Ergo non poſſunt eſſe Schiſmatici. Abſurda ſanè & erroneo principio fulta argumentatio.

Duo in Eccleſiâ diſtinguenda ſunt. 1°. Quod veram fidem teneat. 2°. Quod ſit ſocietas viſibilis, cujus membra exteriori Communione coaleſcunt. Iiſdem enim participare Sacramentis, unitatem Miniſterii à Chriſto inſtituti agnoſcere, iiſdem adeſſe conventibus, iiſdem legibus adſtringi, ſe unius ejuſdemque corporis membra profiteri, imprimiſque ſimul orationibus vacare : in his exterioribus ac publicis Religionis actibus poſita eſt Communio exterior.

Unum etiam aliud Communionem illam exteriorem præcipuè adſtruit & denotat, nempè Cathedræ Petri Communione conſociari. *Ego*, inquit S. Hieronimus in Epiſtolâ ad Damaſum Romanum Pontificem, *Beatitudini veſtræ, id eſt, Cathedræ Petri Communione conſocior. Super illam petram ædificatam eſſe Eccleſiam ſcio; & quiſquis in hac domo non manducat agnum, ille profanus eſt.* Et ſanctus Optatus ad Parmenianum: *Negare non potes, ſcire te in urbe Româ Petro primò Cathedram eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt: in quâ unâ Cathedrâ Unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret* (1).

Unde Doctiſſimus Boſſuetus in hæc Optati verba : « Abſit ut ſanctus » ille vir ſuam ſingulis Apoſtolis Cathedram fuiſſe negaverit ; ſiquidem erant mundi Principes. Attamen non habebant Cathedram, id » eſt, unam illam & ſingularem Cathedram in quâ Unitas ab omnibus » ſervanda eſt. Uni Petro propria erat illa Cathedra ; & ne quis ſibi » fingat eam cum Petro ruituram eſſe, ſubjicit (Optatus) eorum nomina qui poſt Petrum in hac Cathedrâ ſederant. *Ergo*, inquit, *Cathedra unica eſt : Sedit prior Petrus, ſucceſſit Linus*, &c. (2). »

Mutuò ſibi auxiliantur unitas fidei & unitas Communionis. Longè autem ſunt diverſæ. Poterit quis eoſdem conventus frequentare, iiſdem participare Sacramentis, eundem cultum exhibere, Cathedram Petri agnoſcere, & tamen de aliquibus fidei capitibus aliter ab Eccleſiâ ſen-

(1) Optat. Milevit. contra Parm. l. 2.

(2) Boſſuet tom. 5. *in*-4°. p. 459. Ce ſaint homme (S. Optatus loco cit.) ne veut pas nier que tous les Apôtres n'ayent eu leur Chaire, puiſqu'ils étoient les maîtres du monde. Toutefois ils n'avoient pas la Chaire, dit-il, c'eſt-à-dire, cette Chaire unique & principale, en laquelle l'Unité doit être gardée. Elle n'appartenoit qu'à S. Pierre : & de peur qu'on ne s'imagine qu'elle devoit finir avec cet Apôtre, il rapporte tous ſes Succeſſeurs qui s'y ſont aſſis après lui. *Ergo Cathedra unica eſt. Sedit prior Petrus, ſucceſſit Linus*, &c.

tire. Et viciſſim eandem habere fidem poterit, & ab exteriori Communione ſeparari.

Qui Eccleſiæ Communionem abdicat, etiamſi in ejus fide perſeveret, Schiſmaticus eſt, & ex eorum numero de quibus ait Cyprianus: (1) *Qui Eccleſiæ Unitatem non tenet, nec veritatem tenet ad ſalutem.* Hoc à ſecundo Concilio generali definitum eſt: *Hæreticos* (*) *dicimus & eos qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præ ſe ferunt: avulſi autem ſunt & abſciſſi, & adverſus Canonicos noſtros Epiſcopos Congregationem faciunt* (2).

Videas etiam plurimos in præcipuis fidei capitibus aberrare, qui Unitati Eccleſiæ firmiſſimè adhæreant. Hoc ipſum divo Cypriano contigit, qui circa collatum ab Hæreticis Baptiſmum errabat. Ita affectis hominibus, errores minoris ſunt ad ſalutem impedimenti. Cujuſmodi errore quamvis aberraverit magnus ille vir, non ideò minore ſanctitatis flore emicuit. Mirum ſanè quod tam ſimplices, tam lucidæ, tam tritæ hoc temporis veritates, denuntiatorem decretorio modo judicantem latuerint.

Veniamus nunc ad alterum quod aſtruit principium, ut Græcos Schiſmatis crimine abſolvat. « Ea pars, inquit, quæ in hoc caſu ab » illâ parte diſcedit quam nocentem judicat, non ſeipſam ab Eccleſiâ » realiter ſeparat; quando quidem eo fine diſcedit ut illibatas ſervet » veritates quas ab alterâ parte credit oppugnari. » (3) Quid ſibi volunt hæc verba? niſi licere aliquando ſchiſma facere. Fortè non meminit auctor, librum ſancti Cypriani *de Unitate Eccleſiæ* totum eſſe in hâc veritate aſſerendâ, nempè ſchiſma quod ab Eccleſiæ Unitate disjungit, horrendum eſſe ſcelus, iis etiam qui de fidei integritate nihil detraherent. *Inexcuſabilis*, inquit, *& gravis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt qui in Eccleſiâ non eſt* (4).

Quamdiù vixit S. Auguſtinus in hoc ſemper elaboravit, ut Donatiſtis probaret nefas eſſe præſcindere Unitatem: *Præſcindendæ Unitatis nulla eſt juſta neceſſitas.* (5) Principium eſt Eccleſiæ conſtitutivum, ſanctè &

(1) De Unit. Eccleſ.
(*) Hæc vox *hæreticos*, idem ſonat hic quod *ſchiſmaticos.*
(2) Concil. Conſtantinop. gen. II. c. 6. apud Labb. Conc. t. 2. p. 949.
(3) Précis, p. 134.
(4) S. Cyprian. de Unit. Eccleſiæ.
(5) S. Aug. l. 2. cont. Parmen. c. 4.

Digitized by Google

inviolatè ſervandam eſſe Communionis unitatem : *In hoc cognoſcent omnes*, ait Chriſtus, *quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* (1). Quævis privata ſocietas unitatem dividens ab aliis Eccleſiis diſcedendo, dogmata quidem fidei ſervare, caritatem autem, quæ in Unitate tantùm reperitur, ſervare nequit. Inde ab Epiſcopis in Concilio Cyrtenſi congregatis dictum eſt : *Quiſquis ergo ab hac Eccleſiâ Catholicâ ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quod ab Unitate Chriſti disjunctus eſt, non habebit vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum* (2).

Hinc patet qaantum à veritate ſit alienus denuntiator, qui dum fatetur Græcos ab Eccleſiæ Latinæ Communione ſeceſſiſſe, nihilominus hoc juſtâ de cauſâ fuiſſe factum inſinuat, ſcilicet ut integras Græci tuerentur veritates, quas à Latinis adulterari putabant (3).

Schiſma dicitur Communionis diviſio. Cùm magna quædam ſocietas in duas partes ſcinditur, ea pars quæ alteri dicit, *nihil mihi & tibi*, illam eſſe Schiſmaticam manifeſtum eſt. Sic ſe habet Eccleſia Græca.

Hanc quidem ſolam omnibus aliis ſimul extendi latiùs dicit alicubi compendii denuntiationis auctor (4) : his tamen verbis contrarium admittit : « Poſſuntne (Græci) ut Œcumenica admittere Concilia qui» bus nec interfuit, nec audita eſt media *ferè* pars univerſalis Eccle» ſiæ (5) ? » Hoc confeſſo, quærere non eſt opus quàm longè diffundatur Eccleſia Græca, ratione habitâ Eccleſiæ univerſalis. Satis eſt conceſſiſſe auctorem, Eccleſiam Græcam eſſe Latinæ numero imparem ; atque aliundè conſtet eandem Eccleſiam Græcam Communionem noſtram renuiſſe, & velut illam mentitam matrem de quâ in ſacris Litteris mentio, conclamaſſe : *dividatur.* Quæ quidem vox quovis tempore certum fecit Schiſmatis indicium.

Ubi ſemel diſciderunt Unitatem Græci, ex Eccleſiæ Legibus ab utraque Communione ante ſchiſma & poſtea admiſſis, debuit Eccleſia Latina ſuis prohibere ne ullomodo cum Græcâ communicarent. Hæc autem prohibitio ſchiſma jam completum ſupponebat, nedum illius eſſet cauſa. Eccleſiæ Latinæ immotum ſemper infixumque fuit ut ea

(1) Joan. 13. 35.
(2) Concil. Cirtenſe. ann. 412. apud Labb. Concil. t. 2. p. 1550.
(3) Précis, p. 134.
(4) Précis, p. 128.
(5) Précis, p. 139. Epiſt. ab Auct. relatâ & adoptatâ.

Digitized by Google

prohibitio reſcinderetur, cùm primùm Græci Schiſmatica corda deponerent. Etiamſi concederemus plus minuſve in hac re peccaſſe ſummos Pontifices, peccare non eſt idem ac ſchiſma facere, neque juſtam præſcindendæ Unitatis neceſſitatem inferre. Irrepſerant in duabus Eccleſiis abuſus. Erant tolerandi, admovendaque in pace erant hiſce malis remedia. Utra majoribus fuerit vitiata abuſibus, parvi intereſt inquirere. Ipſimet ſummi Pontifices ambas Eccleſias aſſimilaverunt duabus illis meretricibus quarum litem diremit Salomon; in exemplum etiam adduxerunt decem tribuum ſchiſma, regnante Roboam, confectum. (1) Utra duarum meretricum fuerit nocentior, nihil ad rem pertinet. Hoc certò perſpicuum eſt, non fuiſſe veram matrem quæ petiit ut infans divideretur. Quantumvis durè & injuſtè in decem Tribus egerint Roboam ejuſque ſucceſſores, non ideò excuſandæ erant de Schiſmate, non de diſceſſu à Templo Hieroſolimitano, non de erectione altaris Bethel ac vitulorum aureorum, contra altare & unicum Dei Templum quod Hieroſolimis in monte Sion juſſerat Deus ædificari. Judæi verum Dei cultum tenentes, judicibus Prophetis, (2) nocentiores fuerunt ipſis Schiſmaticis tribubus; non ex hoc Schiſmatis natura immutatur. Nihilominus in Judâ reſedit vera Communio, verum Templum, cultus legitimus: nihilominus erant Schiſmaticæ tribus quæ à Templo abſceſſerant. Quodcumque igitur fuerit judicium de ſummorum Pontificum factis, ac de abuſibus qui in Eccleſiam Latinam graſſati fuerant, quorumque immunis fortè fuit Eccleſia Græca, illud omninò à Communionis ſeparatione diſtinguitur; neque juſta potuit eſſe ratio à Latinis diſcedendi, cùm ſemper nefas ſit perrumpere Unitatem.

II.

Quod ad facta attinet, duo à denuntiatore proferri videmus. 1°. Quidem *nihil Eccleſiam Græcam egiſſe ut Schiſma provocaret ac compleret: Pacem ſemper cupiiſſe ac quæſiviſſe, imò etiam nunc ambire; ſoloſque Romanos Pontifices inter utramque Eccleſiam ſemina ſparſiſſe diſſentionum.* 2°. Græcos, *ſi defecerint à Curiâ Romanâ, non ab Eccleſiâ Latinâ defeciſſe* (3).

(1) Leo IX. tom. 9. Concil. Gregorius IX. tom. 2. Concil. ad Germanum Patriach. Conſtantinop.
(2) Ezech. 23.
(3) Précis, p. 42. 43. 136. 139.

De his factis quid ſit ſentiendum ab Hiſtoriâ doceamur.

I.

Præparatio ad Schiſma.

Paratum à Photio Schiſma, Michael Cerularius inſtauravit; longoque poſtea tempore conſummatum eſt.

Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Eccleſiæque Græcæ Princeps, primus Schiſmatis auctor reputandus eſt. Accuſationes enim in Eccleſiam Romanam conflavit, quas poſteà ſemper prætexuerunt quicumque fuere ſciſſuræ cupidi: cùm Conſtantinopolitanam Sedem invaſiſſet, audiſſetque ſe à Nicolao Papa primo, cujus approbationem poſtularat, damnatum ac dejectum eſſe in Concilio Romæ habito anno 863, Œcumenicum Concilium finxit, in quo, auctore ipſo, lata eſt in ſummum Pontificem ſententia depoſitionis cum excommunicatione in omnes qui cum eo communicarent (1). En igitur Curiam Romanam, nec illam ſolam, ſed & omnes Latinos à Photio ſejunctos & excommunicatos.

Ille Patriarcha Schiſmatis auctor eſt. Fruſtrà autem dixerit aliquis, non fuiſſe in ſummo Pontifice, Romano etiam Concilio accedente, tantam auctoritatem, ut eum Epiſcopali dignitate deponeret; verum hæc depoſitio juſtiſſimis ac graviſſimis innixa momentis non erat à Communione ſeparatio; ſententia enim Photium non prohibebat à Communione in mortis articulo (2). Præterea à Communione non ſeparabat privatam aliquam Eccleſiam, multòque minus totam Eccleſiam Græcam, ſed unum hominem, Photium nempè, aut certè paucos rebellionis ejus conſcios.

Ficti ſui Concilii Decretum munivit Patriacha C. P. circulari Epiſtolâ Orientalibus Eccleſiis inſcriptâ in quâ non ſummis Pontificibus privatim, ſed omnibus Latinis multos errores objicit, qui eò tendunt, aiebat, *ut omnem Religionem evertant:* Sabbato jejunare, abſtinere à jejunio primâ Quadrageſimæ Hebdomade, cœlebs Presbiterorum vita, Confirmatio ſolis Epiſcopis reſervata, addita ſymbolo Conſtantinopolitano, quod impietatis cumulum dictitat, particula *Filioque.* Ea eſt errorum iſtorum Summa. Obſervat illuſtriſſimus Abbas Fleuri illud eſſe

(1) T. 8. Concil. p. 1388. & ſeq.

(2) Nicol. I. Epiſt. 7. n. 1. tom. 8. Conc. p. 287.

primum,

primum, quod ſciat; opus in quo Latini à Græcis de erroribus incuſentur (1). Vanæ illæ ac nullius momenti accuſationes ab ipſomet auctore pugnantia loquente ſatis diluuntur. Agnoſcit enim in ſecundâ ad Nicolaum Papam Epiſtolâ, quâ invaſionem ſuam approbari poſtulabat, ſingula hæc patienter & in ſpiritu lenitatis eſſe toleranda. Contra ipſum igitur convertuntur ejus convicia, hominemque tantùm Schiſmatis anhelantem produnt (2).

II.

Renovatio Schiſmatis.

Sopitâ primâ illa diviſione paulo poſt Photii mortem; elapſis duobus ferè ſœculis exſuſcitata eſt à Michaele Cerulario Conſtantinopolitano Patriarcha. Is, motu proprio ac nullo laceſſente, ad Joannem Tranienſem Epiſcopum in Neapolitano regno Epiſtolam ſcripſit, in quâ contra Latinos iterat exprobrata toties à Photio, multis additis æquè vanis ac futilibus. (3) Eò longiùs proceſſit Cerularius, quod æſtuanti ac immoderato zelo ſupinam ignorantiam adjiceret. Summus igitur Pontifex Leo IX non minori ſapientiâ quàm animi vigore exprobravit illi certa diviſionis apertæ veſtigia. Quam eâ de re ad Cerularium miſit Epiſtolam, ea inter pretioſiſſima Traditionis monumenta reputanda eſt, cùm Græcos tantùm, non verò Latinos, Schiſmatis animo concitatos eſſe teſtetur. » Ut enim fertur, inquit, omnes Lati» norum Baſilicas penes vos clauſiſtis. Monachis Monaſteria & Abba» tibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis. Ecce in hâc parte Ro» mana Eccleſia quantò diſcretior, moderatior & clementior vobis » eſt! Siquidem cùm intrà & extrà Romam plurima Græcorum repe» riantur Monaſteria ſive Eccleſiæ, nullum adhuc eorum perturbatur » vel prohibetur à paternâ traditione, ſive ſuâ conſuetudine, quin » potiùs ſuadetur & admonetur eam obſervare: nec enim animoſita» tem impiæ hæreſeos habet, quæ ſemper diviſione gaudet, dicens » per patricidam meretricem: *nec mihi nec tibi ſit*, ſed *dividatur:* ſed » pietate veræ matris, ſic Salomonem deprecatur: *obſecro, Domine*, » *date huic infantem vivum*, & *nolite interficere eum.* Scit namque quia

(1) Fleuri l. 50. n. 26.
(2) V. Steph. de Altimura Ponticenſis Panopl. cont. Schiſma Græcorum. Centur. ſeu Sæcul. IX. c. 1. & ſeq.
(3) Baronius ad ann. 1053. tom. XI. p. 201.

» nihil obſunt ſaluti credentium, diverſæ pro loco & tempore con-
» ſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ po-
» teſt, uni Deo commendat omnes (1)«.

Cerularius ab agendi ratione tam ſapienti & moderatione verâ Chriſti Sponſâ tam dignâ longè diſſitus, ſuis cum Sectatoribus aiebat, *extra Græcam Eccleſiam, toto orbe terrarum, inveniri nec Chriſti Eccleſiam, nec verum Sacrificium, nec verum Baptiſma*, &c. (2). Hæreſim, ut videre eſt, ſchiſmati annectebat. Tres verò Romani Pontificis Legati res è contrariò non permiſcentes, ipſo in excommunicationis inſtrumento quam ferunt, dilucidè ſecernunt Michaelem Cerularium, ejuſque fautores, ab aliis omnibus qui ex Græcâ Eccleſiâ erant, quam nedum vel anathemate percutiant, vel à Communione divellant, ut contra ejus fidem rectam teſtentur (3).

A Græcis igitur eſt ſciſſura, etiam hâc in ſchiſmatis renovatione.

III.

Schiſmatis conſummatio.

Haud ſecus in ejuſdem conſummatione. Nimis longum foret ac ſubneceſſarium, habitâ ratione finis propoſiti, omnia enarrare quæ pro Græcorum cum Latinis conjunctione tentata ſunt; quantoperè ab utraque parte aliquoties accederetur; quî in dies accreſcerent diſſidia; quot impedimenta pacifici Græci à ſuis experirentur; quot reconciliationes ſancitæ & poſteà ſolutæ ab anno 1053, quò vigebat Cerularius, uſque ad annum 1204, quo propter expugnatam à Latinis Conſtantinopolim penitùs exulcerati ſunt animi Græcorum, & ab illo quoque die ad tempus uſque Concilii Florentini, in quo adſuerunt anno 1438 Græci ſeptingenti, qui omnes, uno excepto Marco Epheſino, ſemper immanſueto & pervicaci, unionem amplexi ſunt. Unum ſat erit dicere, quod quidem Græcos reos eſſe demonſtrat, novam hanc unionem (quæ in ſpecie tantùm ſucceſſit) ſchiſmaticis Græcis conſummandi & univerſè propagandi ſchiſmatis occaſionem dediſſe, ita ut perfidos &

(1) Conc. Labb. t. 9. p. 966.
(2) Baronius ad annum 1054. t. xj. p. 215.
(3) Conc. Labb. t. 9. p. 99. & ſeq. Baronius ſupra p. 214. V. Panop. cont. ſchiſm. Græcorum. Cent. ſeu ſæcul. XI. cap. 2. & ſeq.

apoſtatas habuerint omnes qui unioni ſubſcripſerant (1).

Anno 1453 cùm Conſtantinopolim expugnaſſet Mahumedes II, à ſuperſtite Clero Patriarcham eligi juſſit. Electus eſt inſignis Senator Georgius Scholarius, qui audacter amplexus fuerat conſtitutam Florentiæ unionem, quique cùm fruſtrà per annos quinque deſudaſſet, ut Græcos Communione jungeret cum Latinis, tam rebellis Eccleſiæ regimen abdicavit (2). Ab hinc, velut mortua jacet, nec ullo modo concordiam expetit Conſtantinopolitana Eccleſia, quam alii tres Orientis Patriarchatus imitantur, exceptis quibuſdam & admodum paucis Eccleſiis particularibus.

Qui contendunt à Græcis ſchiſmaticis unionem exoptari, neque eoſdem à Communione ſuâ Latinam Eccleſiam remotam velle, id nullis unquam poterunt argumentis evincere. Atque utinam poſſent! hoc enim ſublato Græcorum ſchiſmatico ſpiritu, pax conſtitueretur, & qui unicus ferè ſtat paries maceriæ & diviſionis inter utramque gentem ſolveretur. De his enim etiamnum dici poteſt quod olim dicebat Divus Bernardus de Græcorum pertinaciâ: *nobiſcum ſunt & nobiſcum non ſunt: juncti fide, pace diviſi, quanquam & in fide ipsâ claudicaverint à ſemitis rectis* (3).

Denique narrant quidam Scriptores, ab Eccleſiâ Ruſſanâ quæ eaſdem omninò ac quatuor Orientis Patriarchatus leges & conſuetudines obſervat, cujuſlibet anni quadrageſimâ Latinam Eccleſiam excommunicari.

Conſtat ergo in Græcos refundi debere Eccleſiarum ſchiſma, ſeu cùm *incæpit* ſub Photio, ſeu cùm per Cerularium *revixit*, ſive cùm poſt Concilium Florentinum, & expugnatam à Turcis Conſtantinopolim

(1) Ducas hiſt. Byzant. c. 36. & ſeq. V. etiam t. 13. Concil. p. 677. & ſeq. & Leo. Allat. l. 3. c. 4.

(2) Biblioth. PP. tom. 26. p. 560. Hæc dicuntur juxta communem opinionem, quâ Georgius Scholarius, qui factus Patriarcha C. P. *Gennadii* nomen ſumpſit, poſtquam in Concilio Florentino unioni faventem ſe præbuiſſet, redux in Orientem in ſuâ ſententiâ ad mortem uſque perſeveravit. Sed Auctores quidam, inter quos D. *Renaudot*, (Gennadii Homiliæ, &c. Pariſiis 1709.) è contrariò ſentiunt Gennadium etiam, antequam Conſtantinopolitanam Sedem obtinuiſſet, mutaſſe ſententiam & mortuum eſſe ſchiſmaticum. Quæ opinio, ſi vera eſt, illis qui contendunt Orientalem Eccleſiam à ſchiſmate eſſe excuſandam, nedum faveat, adverſatur: eâ enim poſitâ tollitur celeberrimi omnium Græcorum, qui his temporibus inter unionis fautores annumerari poſſent, auctoritas.

(3) S. Bernard. l. 3. de conſid. c. 1. n. 4.

conſummatum eſt ; ac multis ſaltem à ſæculis completum eſſe atque perfectum.

» Si ſermo ſit de Græcis, inquit Illuſtriſſimus Boſſuetus, negari non » poteſt quin unâ vixerimus, & unanimi conſenſu Petri Cathedram » agnoverimus. Eam itaque deſerendo, ut & cæteri ſchiſmatici, no- » vatores facti ſunt, eorumque eſt manifeſta defectio. Nos autem » tuti ſumus ab hujuſmodi exprobrationibus, ſolaque poteſt Eccleſia » Catholica ſe unicam in terris eſſe Societatem gloriari, cui, tot in- » ter Sectas, nullo ex facto quod ſit indubitatum, poſſit unquam quo- » vis in capite commonſtrari, ipſam ſe à Chriſti cœtu jam conſtituto » ejuſque Paſtoribus ſegregaſſe. Illa ergò una ex Paſtorum ſerie à » Chriſto promiſſâ nunquam exceſſit ; unaque per eandem continua- » tam Paſtorum ſeriem & ſucceſſionem, etiam nunc his noviſſimis » temporibus, eos audit qui ab Apoſtolis aut etiam ab ipſo Chriſto » edocti fuerunt (1) ».

Schiſmatico ſuo ſyſtemati addictus denuntiator, non plura agnoſcit quàm ſeptem Concilia generalia ; illaque omnia repudiat quæ poſt ſeptem priora celebrata ſunt, ac ſpeciatim Concilium Tridentinum, contendens nonniſi ſeptem priora Concilia acceptata fuiſſe ab Eccleſiâ univerſali, tùm Græcâ tùm Latinâ (2). Quâ in re duos ſimul profert errores. I°. Etenim octavum generale Concilium in gratiam Sancti Ignatii, Conſtantinopolitani celebratum ab univerſâ Eccleſiâ, tam Græcâ quàm Latinâ, exceptis Photio & ejus Sectatoribus, acceptatum fuit. Quorſum ergò illud œcumenicorum numero non adſcribit ? Alter ejus error in eo ſiſtit quod dicat Eccleſiam Latinam ſeu Romanam non eſſe Catholicam ſeu univerſalem Eccleſiam. Id autem proferre non poteſt quin veram damnet Eccleſiam, & abſolvat Græcos, quorum tamen ſchiſmaticos animos demonſtravimus.

(1) D. Boſſuet. tom 5. *in*-4°. p. 23. » Si nous parlons des Grecs, on ne peut nier » que nous n'ayons vêcu enſemble, & reconnu d'un commun accord la Chaire de » S. Pierre. Ils ſe ſont donc faits novateurs en la quittant, comme les autres ſchiſmatiques, & leur défection eſt notoire. Nous ſommes à couvert de tels reproches : » & l'Egliſe Catholique ſe peut glorifier d'être la ſeule Société ſur la terre, à qui, » parmi tant de Sectes, on ne peut jamais montrer, en quelque point que ce ſoit, » par aucun fait poſitif, qu'elle ſe ſoit détachée des Paſteurs qui étoient en place, ou » du Corps du Chriſtianiſme qu'elle a trouvé établi. Elle eſt donc la ſeule qui n'eſt » point ſortie de la ſuite promiſe par J. C. & qui, par la ſucceſſion, écoute encore, » dans les derniers tems, ceux qui ont oui les Apôtres, & J. C. même.

(2) Précis, p. 47. 49.

Digitized by Google

Quæ cum ita ſint, denuntiamus ſancto Cœtui Synodico ſequentes propoſitiones ex opere inſcripto : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. excerptas.

I.

On peut conſidérer le Schiſme ſous deux faces différentes : ou comme ſchiſme d'avec l'Egliſe univerſelle, ou comme ſchiſme dans l'Egliſe. Le premier eſt une ſéparation avec le centre qui réunit toutes les parties dans l'Egliſe Catholique. Ce centre eſt la hiérarchie, la foi, & la profeſſion de foi de cette Egliſe, ſon Tribunal & la participation à tous ſes Sacremens... Un tel ſchiſme rend étrangers à l'Egliſe & à tous ſes avantages, ceux qui le font. C'eſt-là le ſchiſme proprement dit.

2°. On peut conſidérer le ſchiſme comme étant fait avec quelque portion de l'Egliſe, ſans ſortir de l'Egliſe, c'eſt-à-dire, ſans ſe ſéparer de la foi, de la profeſſion de foi, ni de la Hiérarchie de cette Egliſe, ſans ceſſer de participer à tous ſes Sacremens, ni de reconnoître ſon Tribunal. Le ſchiſme dans ce ſens, quoiqu'il puiſſe être un grand mal, ne ſépare point cependant de l'Egliſe ceux qui ſe ſéparent de quelque particulier, ou de quelque portion, parce qu'ils la croiroient repréhenſible en quelque choſe de grave; & tant qu'ils reſteront attachés au centre de l'Egliſe de la maniere que je viens d'expliquer, on doit les regarder comme faiſant partie de l'Egliſe Catholique. P. 126 & ſuiv.

I.

Sub duplici reſpectu conſiderari poteſt ſchiſma : aut tanquam ſchiſma ab Eccleſiâ univerſali, aut tanquam ſchiſma in Eccleſia. Primum eſt ſeparatio à centro in quod confluunt omnes Eccleſiæ Catholicæ partes. Centrum illud eſt Hierarchia, eſt fides & Fidei profeſſio hujus Eccleſiæ, ejus Tribunal & omnium Sacramentorum participatio. Tale ſchiſma ſeparat ab Eccleſiâ, atque ab Eccleſiæ bonis : & eſt ſchiſma propriè dictum.

Deinde poteſt conſiderari ſchiſma tanquam factum cum aliquâ Eccleſiæ portione, ab Eccleſiâ non diſcedendo, id eſt, à fide, fidei profeſſione, ejuſdem Eccleſiæ Hierarchiâ, Sacramentorum participatione, atque ab ipſius Tribunali. Schiſma in hunc ſenſum acceptum, quamvis ingens ſit malum, non ſeparat ab Eccleſia eos qui ſeparant ſe ab aliquo membro ſeu ab aliquâ Eccleſiæ portione, eo quod illam in aliquâ re gravi reprehendendam putant; & quamdiu conjuncti manent Eccleſiæ centro, eo quo ſuprà expoſuimus modo, habendi ſunt tamquam membra Eccleſiæ Catholicæ.

II.

Dès-lors que quelqu'un eſt Hérétique, dès-là il eſt Schiſmatique ; puiſqu'il quitte le centre d'union qui eſt la foi de l'Egliſe &c. : & quiconque ne le quitte point, ne peut être Schiſmatique..... Ces deux

II.

Ubi primùm quis fuerit Hæreticus, fit ſtatim Schiſmaticus ; quia deſerit unitatis centrum, fidem ſcilicet Eccleſiæ, &c. : quicumque illud non deſerit, non poteſt eſſe Schiſmaticus..... Duæ illæ qualitates ſunt inſepara-

qualités ſont inſéparables, & l'une ne va pas ſans l'autre. P. 138.

III.

On ne peut pas dire que la partie qui ſe ſépare dans ce cas (ſemblable à celui des Grecs) de cette portion qu'elle regarde comme coupable, ſe ſépare en effet de l'Egliſe; puiſqu'elle ne ſe ſépare de cette portion, que pour conſerver intactes les vérités qu'elle croit être attaquées par elle. P. 134.

IV.

Les Evêques de Rome ont été les ſeuls qui ont mis la diſcorde entre les deux Egliſes, & les ſeuls qui ont poſé des obſtacles invincibles à la parfaite concorde qui devroit régner entr'elles. P. 42.

V.

Je ferai voir par les démonſtrations les plus lumineuſes, que l'Egliſe Grecque n'a jamais fait aucun Acte pour former & pour conſommer le ſchiſme que les Evêques de Rome ont allumé entre les deux Egliſes, Latine & Grecque. P. 43.

VI.

Tous les Conciles où l'Egliſe Grecque n'a point aſſiſté, & n'a point pris de part, ne peuvent être regardés comme des Conciles généraux où toute l'Egliſe ait aſſiſté. P. 135.

VII.

J'entends par Concile général, non un Concile général de l'Egliſe Latine, mais un Concile général de l'Egliſe univerſelle.... & dans lequel, par conſéquent, ſoient réunies toutes les Egliſes Catholiques de l'Univers par députés, ou autrement.... Telle eſt l'Egliſe Grecque que Rome a rejettée de ſa Communion ſous de faux prétextes. P. 184.

biles, & non poteſt eſſe una ſine aliâ.

III.

Dici non poteſt partem quæ ſe ſeparat in hoc caſu (qualis Græcorum eſt) ab eâ parte quam reprehendendam judicat, ſeſe reipſâ ab Eccleſiâ ſegregare: quando quidem ab hac parte non ſe ſegregat, niſi ut intactas ſervet veritates, quas ab eâdem oppugnatas exiſtimat.

IV.

Romani Epiſcopi ſoli inter utramque Eccleſiam diſſentionem commoverunt; ſoli oppoſuerunt invincibilia obſtacula perfectæ concordiæ quæ inter eas regnare deberet.

V.

Evidentiſſimis demonſtrationibus oſtendam, Græcam Eccleſiam nullum actum unquàm feciſſe, quo vel inciperet vel conſummaret ſchiſma à Romanis Epiſcopis inter Eccleſias, Latinam & Græcam, conſtatum.

VI.

Concilia omnia in quibus non adfuit Eccleſia Græca, quibuſque nullam habuit partem, cenſeri non poſſunt ut generalia Concilia in quibus adfuerit tota Eccleſia.

VII.

Generale Concilium voco, non Eccleſiæ Latinæ generale Concilium, ſed Concilium generale Eccleſiæ univerſalis... in quo conſequenter, per deputatos aut aliter, coadunentur omnes Catholicæ orbis univerſi Eccleſiæ..... Talis eſt Eccleſia Græca quam Roma falſis ſub prætextibus à Communione ſuâ rejecit.

VIII.

Je trouve que ſi les Grecs ſont en effet Schiſmatiques, les conſéquences ſont infiniment funeſtes à l'Egliſe univerſelle. Je ne trouve aucun accord dans pluſieurs de ſes Conciles généraux ſur des points eſſentiels. Les premiers ont formellement & diſtinctement nié, par exemple, touchant la ſupériorité des Evêques de Rome dans l'Egliſe au-deſſus des autres Evêques, ce que d'autres Conciles, que nous appellons univerſels, ont décidé formellement & diſtinctement être des dogmes de foi. P. 137.

VIII

Cenſeo quod ſi Græci realiter Schiſmatici ſint, hinc ſequentur incommoda univerſali Eccleſiæ funeſtiſſima. Inter multa generalia ejus Concilia in eſſentialibus capitibus concentum nullum inveniam. Priora formaliter & diſtinctè negarunt, verbi gratiâ, circa Romanorum Epiſcoporum in Eccleſiâ ſuperioritatem in alios Epiſcopos, quod poſteriora alia Concilia, quæ univerſalia dicimus, formaliter & diſtinctè fidei dogma pronuntiarunt.

DECRETUM II.

Declarat ſancta Synodus :

I.

Eccleſiam viſibilem, à Chriſto fundatam, eſſe Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam, *quæ nec à caritate decidere poteſt, nec ab orthodoxâ fide deviare* (1).

II.

Aliud eſſe ſchiſma, aliud hæreſim : & ideo veræ & orthodoxæ fidei profeſſionem non eſſe propriè centrum exterioris Communionis quæ debet eſſe inter omnia hujus Eccleſiæ Catholicæ membra ; ſed illud centrum eſſe *Cathedram Petri*, ab illo Apoſtolo Romæ collocatam : *unde unitas Sacerdotalis exorta eſt* (2).

III.

Eum eſſe *ſchiſmaticum & peccatorem, qui contra hanc*

(1) Concil. Pariſ. 1528.
(2) S. Cyprian. l. de Unit. Eccleſiæ.

Digitized by Google

ſingularem Cathedram ; alteram collocat (1).

IV.

Præſcindendæ unitatis cum hâc ſingulari Cathedrâ, aut cum Eccleſiis quæ ipſi adhærent, *nullam eſſe juſtam neceſſitatem* (2).

V.

Proinde Chriſtianos Græcos, qui hanc unitatem diſciderunt, & in hâc ſciſſione perdurant, ſive veram & orthodoxam fidem profiteantur, ſive non, eſſe verè & propriè ſchiſmaticos.

Et ideò damnat ſancta Synodus ſibi denuntiatas propoſitiones, nempè :

I.

On peut conſidérer le ſchiſme ſous deux faces différentes : ou comme ſchiſme d'avec l'Egliſe univerſelle, ou comme ſchiſme dans l'Egliſe. Le premier eſt une ſéparation avec le centre qui réunit toutes les parties dans l'Egliſe Catholique. Ce centre eſt la hiérarchie, la foi & la profeſſion de foi de cette Egliſe, ſon Tribunal, & la participation à tous ſes Sacremens...... Un tel ſchiſme rend étrangers à l'Egliſe & à tous ſes avantages, ceux qui le font. C'eſt là le ſchiſme proprement dit.

2°. On peut conſidérer le ſchiſme comme étant fait avec quelque portion de l'Egliſe, ſans ſortir de l'Egliſe, c'eſt-à-dire ſans ſe ſéparer de la foi, de la profeſſion de foi, ni de la hiérarchie de cette Egliſe, ſans ceſſer de participer à tous ſes

I.

Sub duplici reſpectu conſiderari poteſt ſchiſma : aut tanquam ſchiſma ab Eccleſiâ univerſali, aut tanquam ſchiſma in Eccleſiâ. Primum eſt ſeparatio à centro in quod confluunt omnes Eccleſiæ Catholicæ partes. Centrum illud eſt Hierarchia, eſt fides & fidei profeſſio hujus Eccleſiæ, ejus Tribunal & omnium Sacramentorum participatio. Tale ſchiſma ſeparat ab Eccleſiâ atque ab Eccleſiæ bonis : & eſt ſchiſma propriè dictum.

Deinde poteſt conſiderari ſchiſma tanquam factum cum aliquâ Eccleſiæ portione, ab Eccleſiâ non diſcedendo, id eſt, à fide, fidei profeſſione, ejuſdem Eccleſiæ Hierarchiâ, Sacramentorum participatione, atque ab ipſius Tribunali. Schiſma in hunc ſenſum acceptum, quamvis ingens ſit malum, non ſeparat ab Eccleſiâ eos qui ſeparant ſe ab aliquo membro, ſeu ab

(1) S. Optat. cont. Parmen. l. 2.
(2) S. Auguſtinus l. 2. contra Parmen. c. xj.

Sacremens ;

Sacremens, ni de reconnoître ſon Tribunal. Le ſchiſme dans ce ſens, quoiqu'il puiſſe être un grand mal, ne ſépare point cependant de l'Egliſe ceux qui ſe ſéparent de quelque particulier ou de quelque portion, parce qu'ils la croiroient repréhenſible en quelque choſe de grave : Et tant qu'ils reſteront attachés au centre de l'Egliſe de la maniere que je viens d'expliquer, on doit les regarder comme faiſant partie de l'Egliſe Catholique.

aliquâ Eccleſiæ portione, eo quod illam in aliquâ re gravi reprehendendam putant : Et quamdiu conjuncti manent Eccleſiæ centro, eo quo ſuprà expoſuimus modo, habendi ſunt tanquam membra Eccleſiæ Catholicæ.

II.

Dès-lors que quelqu'un eſt Hérétique, dès-là il eſt Schiſmatique, puiſqu'il quitte le centre d'union qui eſt la foi de l'Egliſe, &c. Et quiconque ne le quitte point, ne peut être Schiſmatique. Ces deux qualités ſont inſéparables, & l'une ne va pas ſans l'autre.

II.

Ubi primùm quis fuerit Hæreticus, fit ſtatim Schiſmaticus, quia deſerit unitatis centrum, fidem ſcilicet Eccleſiæ, &c. Quicumque illud non deſerit, non poteſt eſſe Schiſmaticus. Duæ illæ qualitates ſunt inſeparabiles, & non poteſt eſſe una ſine aliâ.

III.

On ne peut pas dire que la partie qui ſe ſépare dans ce cas (ſemblable à celui des Grecs) de cette portion qu'elle regarde comme coupable, ſe ſépare en effet de l'Egliſe ; puiſqu'elle ne ſe ſépare de cette portion que pour conſerver intactes les vérités qu'elle croit être attaquées par elle.

III.

Dici non poteſt partem quæ ſe ſeparat in hoc caſu (qualis Græcorum eſt) ab eâ parte quam reprehendendam judicat, ſeſe reipſâ ab Eccleſiâ ſegregare ; quando quidem ab hac parte non ſe ſegregat, niſi ut intactas ſervet veritates quas ab eâdem oppugnatas exiſtimat.

IV.

Les Evêques de Rome ont été les ſeuls qui ont mis la diſcorde entre les deux Egliſes, & les ſeuls qui ont poſé des obſtacles invincibles à la parfaite concorde qui devroit régner entr'elles.

IV.

Romani Epiſcopi ſoli inter utramque Eccleſiam diſſentionem commoverunt ; ſoli oppoſuerunt invincibilia obſtacula perfectæ concordiæ quæ inter eas regnare deberet.

V.

Je ferai voir par les démonſtrations les plus lumineuſes, que l'Egliſe Grecque n'a jamais fait aucun acte pour former & pour conſommer le ſchiſme que les Evêques de Rome ont allumé entre les deux Egliſes Latine & Grecque.

V.

Evidentiſſimis demonſtrationibus oſtendam, Græcam Eccleſiam nullum actum unquam feciſſe, quo vel inciperet vel conſummaret ſchiſma à Romanis Epiſcopis inter Eccleſias Latinam & Græcam conflatum.

VI.

Tous les Conciles où l'Egliſe Grecque n'a point aſſiſté, & n'a point pris de part, ne peuvent être regardés comme des Conciles généraux où toute l'Egliſe ait aſſiſté.

VI.

Concilia omnia in quibus non adfuit Eccleſia Græca, quibuſque nullam habuit partem, cenſeri non poſſunt ut generalia Concilia in quibus adfuerit tota Eccleſia.

VII.

J'entends par Concile général, non un Concile général de l'Egliſe Latine, mais un Concile général de l'Egliſe univerſelle.... & dans lequel par conſéquent ſoient réunies toutes les Egliſes Catholiques de l'Univers par députés ou autrement. Telle eſt l'Egliſe Grecque que Rome a rejettée de ſa Communion ſous de faux prétextes.

VII.

Generale Concilium voco, non Eccleſiæ Latinæ generale Concilium, ſed Concilium generale Eccleſiæ univerſalis.... in quo conſequenter per deputatos aut aliter coadunentur omnes Catholicæ orbis univerſi Eccleſiæ. Talis eſt Eccleſia Græca quam Roma falſis ſub prætextibus à Communione ſuâ rejecit.

VIII.

Je trouve que ſi les Grecs ſont en effet Schiſmatiques, les conſéquences ſont infiniment funeſtes à l'Egliſe univerſelle. Je ne trouverai aucun accord dans pluſieurs de ſes Conciles généraux ſur des points eſſentiels. Les premiers ont formellement & diſtinctement nié, par exemple, touchant la ſupériorité des Evêques de Rome dans l'Egliſe au-deſſus des autres Evêques, ce que d'autres Conciles, que nous appellons univerſels, ont décidé formellement & diſtinctement être des dogmes de foi.

VIII.

Cenſeo quod ſi Græci realiter Schiſmatici ſint, hinc ſequentur incommoda univerſali Eccleſiæ funeſtiſſima. Inter multa generalia ejus Concilia in eſſentialibus capitibus concentum nullum inveniam. Priora formaliter & diſtinctè negarunt, v. g. circa Romanorum Epiſcoporum in Eccleſiâ ſuperioritatem in alios Epiſcopos, quod poſteriora alia Concilia, quæ univerſalia dicimus, formaliter & diſtinctè fidei dogma pronuntiarunt.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, tanquam falſas, calumnioſas, in Concilia generalia, in Sanctam Sedem Apoſtolicam & in Summos Pontifices contumelioſas, ſchiſmati faventes, erroneas ac etiam hæreticas, quatenus centrum exterioris Communionis Eccleſiæ tantùm conſtitueretur in veræ & orthodoxæ fidei profeſſione, excludendo Cathedram Petri.

Digitized by Google

RELATIO III.

De Summi Pontificis Primatu.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit :

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

CUM à ſanctâ Synodo onus nobis impoſitum ſit accuratè legere & recognoſcere librum qui inſcribitur. *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. Atque ad vos referre quæ denuntiator dicit de Romanorum Epiſcoporum primatu, in tot propoſitiones incidimus notari dignas, ut quò enodatiùs vobis res exponatur, neceſſarium duximus eas in plures claſſes diſtribuere. Præmonemus vos uno verbo, denuntiatorem non vereri renovare & adoptare ſibi quidquid de hâc re à fide Catholicâ alienum, & in ſummos Pontifices injurioſiſſimum infenſiſſimi S. Sedis Apoſtolicæ adverſarii protulère.

1°. Denuntiator qui præ ſe fert ubiquè ingenium delirans & perplexum, primùm in ſummi Pontificis primatum invehitur ; ideas ideis intermiſcens, confundit primatûs notionem cum notione Epiſcopi *Œcumenici* ſive univerſalis, quam ſemper reſpuère omnes ſummi Pontifices, maximè S. Gregorius Magnus, qui ut efficaciùs eam à ſe excluderet, ſibi ſumpſit, & ſuis ſucceſſoribus traditum reliquit nomen *Servi Servorum Dei*. Falſò exiſtimavit denuntiationis auctor, nomen *Œcumenici* ſive univerſalis à S. Gregorio rejectum, nihil aliud eſſe, quàm Titulum qui denotat quamdam in alios Epiſcopos ſuperioritatem (1) ; dum apud S. Gregorium nihil aliud ſignificat quàm Epiſcopum qui ſolus eſt Epiſcopus. Sic enim ſcribit SS. Pontifex ad Joannem Jejunatorem, Epiſcopum Conſtantinopolitanum qui nomen Epiſcopi univerſalis ſibi vindicabat. « Qui enim indignum te eſſe fatebaris ut *Epiſcopus* dici » debuiſſes, ad hoc quandoque perductus es, ut, deſpectis fratribus,

(1) Précis, p. 29.

» Epiſcopus appetas ſolus vocari. (1) » Evidens igitur eſt S. Gregorium, rejecto Œcumenici, id eſt, unici Epiſcopi nomine, non reſpuiſſe titulum qui denotat aliquam in alios Epiſcopos ſuperioritatem. Idem auctor confundit iterùm primatum cum jure imperandi deſpoticè Epiſcopis eodem modo quo Rex ſummo cum Imperio in ſibi ſubditos dominatur (2). Dùm ſuis argumentis deſpoticam evellit auctoritatem (quod non minus inutiliter quàm facilè facit), ſupino errore credit, ſe prorſus primatum jure divino ſuſtuliſſe.

2°. Poſtquam umbras fruſtra diverberavit, dùm confuſione ſuarum idearum primatum vult impugnare, illum imperitis telis aggreditur, contendens ſeptem priora Concilia generalia definiiſſe, Romanos Epiſcopos frui tantùm ex humanâ inſtitutione primatu honoris abſque ullâ prorſus auctoritate. Citat Canones IV, V & VI Concilii Nicæni anno 325 habiti, in quibus ne unum quidem verbum de primatu Papali reperiatis : præcipit tantùm IV Canon, *ut Epiſcopus, ſi fieri poteſt, à totius Provinciæ Epiſcopis ordinetur . . . . . ita tamen ut Metropolitani Epiſcopi maximè vel præſentia, vel auctoritas habeatur.* Præcipit V Canon, ut cauſæ Eccleſiaſticæ, ubi agitur de perſonâ Epiſcoporum, Clericorum, & Laïcorum, in Concilio Provinciali terminentur. VI Canon præcipit, ut cuique, ſivè Metropolitano, ſive Patriarchæ, propria ſervetur Juriſdictio : prohibetque ne alius alterius partes ſive jura præoccupare præſumat. *Honor ſuus unicuique ſervetur Eccleſiæ.* Nullibi præcipitur, ut Romam deferatur omnium harum cauſarum judicium ; hinc infert denuntiator, Concilium Nicænum nullum omnino in Epiſcopo Romano agnoſcere primatum ſive Juriſdictionem in totâ Eccleſiâ. Tales ſunt quas vocat formales definitiones Conciliorum generalium (3) ; quæ ad ſummum nihil aliud ſunt, quàm meræ inductiones, imò falſiſſimè & mendoſiſſimè collectæ. *Si Epiſcopus Romanus vel minimam*, inquit, *habuiſſet in alios Epiſcopos Juriſdictionem*, *nonne in Canonibus facta fuiſſet illius exceptio* (4) ? Ad quod reſpondetur minimè : id ſolum ex Patrum ſilentio inferri poteſt, quod Concilium non agnoſcebat in Epiſcopo Romano illimitatam & inordinatam Juriſdictionem ; præterea

(1) Gregorius Epiſt. 18. ad Joan. C. P. Item Ep. 20. ad Mauric. imp. l. 6. Epiſt.
(2) Précis, p. 47.
(3) Précis, p. 89. 94. 99.
(4) Précis, p. 97. 99.

quod nulla de eâ re erat quæſtio. At inter omnem Juriſdictionem & nullam Juriſdictionem magnum diſcrimen eſt.

Concilium generale II Conſtantinopoli habitum anno 381 non plus favet denuntiatori. Hujus Concilii Patribus placuit, prorſùs nihil immutando in Nicænorum Canonum diſpoſitionibus, Conſtantinopolitanis Epiſcopis tribuere ſecundariò, (eò quod tunc Conſtantinopolis Imperatorum & Senatûs erat Sedes) eoſdem honores quibus Roma primariò fruebatur: quod ſummorum Pontificum primatui Jure divino plus favet quàm adverſatur; & verò difficiliùs non erat Concilii Patribus Sedem Conſtantinopolitanam ſuperiorem facere Romanæ Sedi, quàm Anthiochianæ & Alexandrinæ Sedibus, ſi Roma ſicut Antiochia & Alexandria fuiſſet tantum ſimplex Patriarchatus. Sed ſupponamus quod Epiſcopus Romanus ex divinâ inſtitutione primatum habeat, tunc evidens eſt ratio cur Conſtantinopolitana Sedes non facta fuerit Romanæ ſuperior, licet (cum eo tempore civitas Conſtantinopolitana eſſet Imperii caput) quantum ad jus civile fuerit ſuperior.

Concilium generale Calcedonenſe, ſeù potius aliqua pars hujus Concilii quæ 28um Canonem inſtituit, non magis denuntiatori opinionem firmat. Epiſcopi hujus Canonis auctores, nullâ habitâ ratione Decretorum Nicæni Concilii, cùm in gratiam Epiſcopi Conſtantinopolitani novum vellent creare Patriarchatum, plures ei aſſignavere Provincias, non ſine Metropolitanorum detrimento: hanc afferentes cauſam, ut fatetur denuntiator, quod quemadmodum Patres antiquæ Romæ Sedi jura merito tribuerant, eo quod eſſet Imperii caput, eâdem ratione nova Roma quæ Imperii & Senatûs Sedes erat, iiſdem frui debebat privilegiis; ſcilicet placet his Patribus in gratiam Epiſcopi Conſtantinopolitani creare Patriarchatum, quemadmodum in Romanorum Epiſcoporum gratiam antiqui fecerant. Hæc ſunt de quibus hîc agitur privilegia. Nulla prorſùs quæſtio eſt de Summi Pontificis primatu, quidquid effuciat denuntiator, qui demonſtrandum ſuſcipit contra celeberrimum noſtratem D. Opſtraet, primatum quo fruitur Romanus Epiſcopus, nihil aliud eſſe quàm hæc privilegia ab antiquis Patribus Romanæ Sedi conceſſa: quibus verbis Papæ primatum ad humanam tantùm inſtitutionem reducit, excluſo omni Jure divino (1). Addit denuntiator, S. Leonem ejuſdem eſſe de hâc re cujus ipſe eſt, ſententiæ; nempè hoc canone impugnari primatum Jure divino, ad cujus rei confirmationem hujus SS. Pontificis

(1) Précis, p. 31. 34. 99. 16.

citat Epiſtolas nominatim 78, 87, 92 (1). Hæc allata teſtimonia, dum ſemel & iterum legendo, expendere voluimus, cum quodam ſtupore vidimus ne ullum quidem eſſe verbum aut ſimile aut proximum quod ad primatum ſpectet. Unde inferri poteſt denuntiatorem aut has Epiſtolas non legiſſe, aut quæ legerit non intellexiſſe.

Conciliorum V. VI. & VII. auctoritas ad quam denuntiator confugit, non magis nobis obſtat, quàm Canon 28 Concilii quarti, ut non dicamus aliquorum hujus Concilii Patrum. Poſito enim quod omnes Concilii Canones, ne excepto quidem 28, qui tamen quaſi extrà cauſam haberi poteſt, approbaverint Patres, certum eſt 28 Canonem de quo ſolum quæſtio eſt, non approbatum eſſe niſi in ſuo genuino ſenſu, eo nempe quem ſuprà expoſuimus. Unde ſequitur Concilia hæc generalia, nihil omninò definiiſſe, contra Romanorum Epiſcoporum primatum Jure divino.

3°. Ut efficaciùs primatum Rom. Pontificis expugnaret denuntiator, ei neceſſe fuit ut etiam S. Petri inter Apoſtolos ſuperioritatem attentaret: quod tribus modis aggreditur. 1° Contendit non eodem ſenſu interpretari Patres Scripturæ loca quibus maximè fundatur primatus S. Petri. 2°. Scripturam non æquabiliter & conſtanter primum locum S. Petro tribuere. 3°. Profert quædam Scripturæ verba quæ, juxta illum, liquidò probant, ſaltem ſuorum ope Sophiſmatum, nullum fuiſſe in Apoſtolis primum.

SS. Patres, inquit denuntiator (2), cum Antonio de *Dominis*, omninò diſcrepant inter ſe, cùm hæc verba interpretantur: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* (3). Quam-plurimi eam interpretantur de Confeſſione S. Petri quam modò fecerat. Plures per hanc Petram intelligunt Chriſtum ipſum, alii S. Petrum, alii tandem, juxtà illum, cùm uni interpretationi adhæſerunt, mutatâ ſententiâ aliam ſequuntur. Attamen, ut quod verum eſt dicamus, omnes interpretationes unam faciunt Patres, quia licet diverſæ videantur illæ interpretationes, velut variæ ejuſdem ædificii frontes exhibent nobis undèquaque S. Petri primariam dignitatem. Si de Confeſſione Petri intelligantur hæc verba, attendendum eſt quod non eſt hæc Confeſſio Joannis, Andreæ, Jacobi, ſed Petri omnium nomine loquentis, quod eſt proprium capitis offi-

(1) Précis, p. 100. & ſeqq.
(2) Précis, p. 76. & ſeqq.
(3) Matth. 16. 18.

cium, ut corporis humani caput pro toto corpore loquitur. Cùm dicitur Petram illam eſſe Jeſum Chriſtum, qui vera eſt fundamenti Petra, hæc interpretatio evidentem habet ad Petrum relationem qui hujus Petræ imago eſt, quique ſolus inter Apoſtolos hanc Petræ ſeu fundamenti proprietatem nomine ſuo, quod Cephas aut Petra eſt, expreſſam habet. Si Jeſus Chriſtus ſolus eſt proprium ac eſſentiale fundamentum, Petrus ſolus ſuo nomine hanc qualitatem fundamenti exhibet, quod ſaltem duodecim fundamentorum, id eſt Apoſtolorum duodecim, primum eſt fundamentum.

Deinde denuntiator objicit nobis, (1) S. Ambroſii teſtimonium, qui explicans hæc verba, *paſce oves meas* (2), ſic loquitur : *Quas oves & quem gregem non ſolùm tunc ſuſcepit Beatus Apoſtolus Petrus ut illum cuſtodiret & paſceret ;* (hæc eſt Juriſdictionis auctoritas) *ſed & nobiſcum eas accepit, & cum illo eas nos accepimus omnes.* Denuntiator citat hæc verba quaſi excerpta ex libro S. Ambroſii *de dignitate Sacerdotii*, quem librum non reperimus inter genuina opera S. Doctoris. (3) Ut ut ſit, in his verbis videt denuntiator æqualitatem inter Apoſtolos contra S. Petri primatum & ſuperioritatem : verùm non attendit quod ſi Petrus ſolus accepiſſet oves paſcendas, non eſſet tantum Paſtorum primus, eſſet quoque ſolus Paſtor. Verùm cum alii ſimul cum eo & in ejus perſonâ paſcendas oves acceperint, inde ſequitur Petrum omnes repræſentaſſe Paſtores, ipſumque eſſe omnium caput, (& hic eſt primatus). Quod contra nos objicit denuntiator, certum ſit veritatis ſententiæ noſtræ argumentum ; arma miniſtrat, ſuis ipſe telis perfoditur.

Eodem modo exponendus eſt alius hic Scripturæ locus quem ultimum denuntiator exhibet. J. Ch. dicit Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum* (4) ubi ſic annotat : S. Auguſtinus omneſque alii Patres aſſerunt ipſi Eccleſiæ Chriſtum dediſſe claves (5). Fatemur : ſed quæ dixit Petro, cenſetur toti dixiſſe Eccleſiæ, quod fieri non poteſt, niſi in perſonâ unius Capitis & primarii. His primariæ dignitatis ſignis manifeſtè omnibus apparet primatus Petri. Dum claves promittit Chriſtus, regi-

(1) Précis, p. 77.
(2) Joann. 21. 17.
(3) De hoc Opere ſic loquuntur Monachi ex Ordine S. Benedicti, in novâ Operum Divi Ambroſii editione : « Non omninò perfunctoriè hanc opellam diſpicienti, » ambiguum non erit, eam S. Ambroſio ſuppoſitam fuiſſe ».
(4) Matth. 16. 19.
(5) Précis, p. 77.

men, auctoritatem, Juriſdictionem promittit. Data eſt omnibus Apoſtolis Juriſdictio : ſoli Petro datus eſt in hac Juriſdictione primatus. En primatus divinæ inſtitutionis.

Poſtquam omnibus nervis fruſtrà contendit denuntiator, ut ex Scriptis SS. Patrum quædam teſtimonia contra S. Petri primatum excerperet, aut ut ſaltem illos non ſibi conſtitiſſe deprehenderet, probare conatur, non conſtare ſibi de hâc re Scripturæ textus. Aſſerit enim non ubique primo loco nominatum fuiſſe Petrum; quod, inquit, neceſſarium eſſet ut evidenter probaretur primatus (1). Omnes omnino Sacræ Scripturæ textus, in quibus de S. Petro mentio eſt, patienti animo expendimus, tres etiam quos nobis opponit denuntiator, nempè Joannis c. 1, v. 44, capitis II. D. Pauli ad Galatas, v. 9, & capitis IX, v. 5, primæ ad Corinthios. Omnes & ſinguli hi textus innumeris conſiderationibus locum præberent, quæ multum afferent ad confirmandum primatum, ſi, ut in diſſertationibus fit, ità in ſimplici & nuda relatione uberiùs ac fuſiùs diſputare liceret.

Omnia argumenta quibus ex Scripturâ Sacrâ primatus S. Petri confirmatur, quaſi in pulverem contriviſſe denuntiator exiſtimans, iterum concludit, primatum Epiſcopis Romanis tributum ex humanâ tantum eſſe inſtitutione, & fundatâ in eo quod Roma caput erat Imperii. *Si non Roma*, inquit, *ſed v. g. Alexandria fuiſſet urbs caput Imperii Romani, nunquam Epiſcopo Romano, ſed Alexandrino, S. Marci Succeſſoris, honoris prærogativa fuiſſet conceſſa . . . tuncque Romanus Epiſcopus, quamvis S. Petri Succeſſor, nunquàm fuiſſet tanto honore inſignitus* (2).

4°. Ultrà progreditur compendii auctor; veritus enim ne plus quàm vellet per Scripturæ teſtimonia probetur primatus Petri : & proindè ne Epiſcopi Romani in jura Petri ſuccedentes, hæreditate primatum ex inſtitutione divinâ poſſideant, probandum ſuſcipit Pontifices Romanos non eſſe Petri Succeſſores.

» Mentionem feci, inquit, de Romanis Epiſcopis quaſi reverâ eſſent
» Petri Succeſſores, ſed monitum volo me deſignaſſe illos hoc nomine
» ut communi ſermone uterer, licet mihi perſuaſiſſimum eſſet rem non
» ita eſſe ; quidquid enim fecerim ut ne dubitare quidem poſſem S. Pe-
» trum verè fuiſſe Epiſcopum Romanum, nulla de hâc re mihi occur-

(1) Précis, pag. 78.
(2) Précis, p. 87. 88.

» rit

» rit inexpugnabilis probatio (1). Scilicet denuntiatori placet in dubium revocare id de quo nullum amplius dubium eſt ; & controverſias renovare, cùm, conſentiente Doctorum catervâ, cauſa ita finita ſit, ut Grotius ipſe, quem nemo ſuſpectum habebit, declaret quod nullus unquam verè Chriſtianus de hoc facto dubitabit, cùm interpretatur hæc verba : *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta* (2). » Veteres, » inquit, Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe, nemo verus Chriſ- » tianus dubitabit «. Fatetur etiam Blondellus S. Petrum totius Collegii Apoſtolici habitum fuiſſe Caput (3) ; non autem quod Roma erat Imperii Caput ; ergo ex inſtitutione divinâ. Primatus ille eſt etiam Juriſdictionis Primatus : etenim qui dicit *Caput*, non dicit honorem ſine re, ſine auctoritate.

5°. Tam levibus momentis fretus denuntiator, confidentiſſimè invehitur in Primatum divinis Oraculis, Traditionis auctoritate, unanimi Theologorum conſenſu, omnium ſæculorum conſuetudine & profeſſione, atque generalium Conciliorum definitione fundatum. Juxta Origenem data eſt Petro præcipua & univerſa cura paſcendi gregis : » à » Petro, inquit, cùm ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, » & ſupra *ipſum* velut petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio vir- » tutis niſi caritatis exigitur (4). Quid S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus qui tam multus & creber in eo eſt, & cujus ſunt hæc trita verba *Exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur* (5). S. Cyrillus Hyeroſolimitanus S. Petrum appellat *Principem & Supremum Apoſtolorum* (6). Idem teſtatur Baſilius (7). Item Hyeronimus : *Propterea*, inquit, *inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto, ſchiſmatis occaſio tollatur* (8), & S. Chryſoſtomus ad illa verba, *ſurgens Petrus* (in electione Apoſtoli Mathiæ in locum Judæ) : » quàm eſt fervidus, » (ait) quàm agnoſcit *creditum gregem !* quàm in hoc choro *Princeps* eſt ! » & ubique *primus omnium incipit loqui* (9). S. Ambroſius Petrum vocat

(1) Précis, p. 143.
(2) 1. Petr. c. 5. v. 13.
(3) Blondel. Traité de la Prim. p. 319.
(4) Origen. in cap. 6. Rom.
(5) S. Cypr. de Unitat. Eccleſ. Vide etiam Epiſt. 70. 40. 48. 55. 73.
(6) Cyrill. Hyer. Catech. 2. 17.
(7) Baſil. Epiſt. 52. ad Athan. & Epiſt. ad Damaſum. Item, Ep. 77.
(8) Hieron. l. 1. ad Jovin. c. 12. 14. & in Epiſt. ad Galat.
(9) Chryſoſt. Homil. 3. in acta. Homil. 5. in Math. n. 86. Homil. 88. in Joan.

Digitized by Google

Eccleſiæ fundamentum (1). S. Optatus Milevitanus loquens de Petro ad Parmenianum, Donatiſtam: » negare non potes in urbe Româ Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt; in quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus ſervaretur: ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi Eccleſias defenderent; ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret (2) «. Teſtes etiam appellari poſſunt S. Epiphanius, S. Fulgentius, & multi alii: unum ſat erit verbum S. Auguſtini proferre: » *agnoſcitur Petrus in figurâ geſtaſſe perſonam Eccleſiæ ob Primatum quem in Diſcipulis habuit* (3).

Inter Theologos Scholaſticos de hâc quæſtione nulla eſt controverſia; ne unus fortaſſe inter verè Orthodoxos reperietur, qui Primatum Summorum Pontificum jure divino non agnoverit.

6°. Quapropter ab Eccleſiæ exordio Summi Pontifices hanc in omnibus Eccleſiæ partibus, ſive in Oriente, ſive in Occidente, auctoritatem exercuêre.

Primo ſæculo, anno Chriſti 97, curam ſuam intendit S. Clemens in Corinthiorum Eccleſiam domeſticis diſſentionibus agitatam, ad quam de reſtituenda pace ſcripſit Epiſtolam.

Poſteriori ſæculo anno 200. Victor, vigilantiſſimus Pontifex, adhibitâ paſtorali ſollicitudine apud Eccleſias Aſiæ, ut uſus celebrandi Paſcha quartâ decimâ die Lunæ, ad conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ transferretur, ubi proximâ ſequenti Dominicâ celebrabatur, efficere conatus eſt.

Nemo neſcit quanta tertio ſæculo fuerit de iterando hæreticorum baptiſmate diſceptatio, & quam maximè res illa per S. Stephanum geſta ſit. Non multo poſt Dyoniſius Papa, de erroribus Dyoniſio Alexandrino à quibuſdam Fidelibus attributis, cognovit.

Sæculo quarto, Julius Papa cauſam ſuſcepit S. Athanaſii, toties in Arianorum Conciliis damnati. Euſtathius Sebaſtenus, in Armeniâ ab Arianis injuſtè depoſitus, cum ad Eccleſiæ Occidentalis Epiſcopos cauſam ſuam detuliſſet, & Symbolo Nicæno ſubſcripſiſſet, per Epiſtolam

(1) Ambr. l. 2. de Spiritu Sancto. c. ultimo.

(2) Optat. Milevit. l. 2. ad Parmen. Donatiſt.

(3) S. Aug. in Pſ. 108. n. 1. Item Tract. 124. in Joann. n. 5. &c.

Digitized by Google

Liberii, Julii Succeſſoris, in Concilio Thianenſi exhibitam, fuit in Sedem ſuam reſtitutus.

Quinto ſæculo, S. Joannes Chryſoſtomus, ſimiliter, Sede ſuâ dejectus, ad Summum Pontificem confugit, quem his verbis alloquitur : » Scribite, » precor, & auctoritate veſtrâ decernite, hujuſmodi iniqua geſta, » nobis abſentibus & judicium non declinantibus, nullius eſſe roboris; » eoſque qui talia geſſere, Eccleſiæ cenſuræ ſubjicite . . » Idem fecere S. Flavianus in latrocinio Epheſino atrociſſimè tractatus, Theodoretus ab hæretico Dioſcoro, tandem Talaia, Epiſcopus Alexandrinus, ab Acacio Conſtantinopolitano Sedibus ſuis injuſtè pulſi.

Sexto ſæculo, S. Gregorius Magnus Joannem Jejunatorem, ejuſdem Sedis Epiſcopum, grandiora præſumentem reprimit.

Jam horrendâ Monothelіſmi tempeſtate, tota ſeptimo ſæculo agitabatur Eccleſia. S. Sophronius, Epiſcopus Hyeroſolimitanus, Stephanum, Dorenſem Epiſcopum, primum ſuum Suffraganeum, ad Sedem Apoſtolicam Legatum miſit, quâ de causâ S. Martinus Papa, ingens Concilium Lateranenſe convocans anno 649, ſuum in Paleſtinâ Vicarium conſtituit Stephanum, & poſt illum Joannem Philadelphium. In hoc Concilio anathemate percuſſi ſunt Theodorus Pharanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, cum ejus Succeſſoribus Pyrrho & Paulo.

Octavo ſæculo, Tharaſius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſcopi Romani nomine, ſeptimo Concilio contrà Iconomachas habito præfuit. Sexta hujus Concilii ſeſſio Primatui multum favet; nec huic uni Concilio per Legatos præfuêre Pontifices Romani.

Nono ſæculo, non ſolùm Concilium VIII generale contra Photium habitum favet Primatui, verum etiam Photius ipſe eum agnovit. Apud Nicolaum Papam I. egit tùm per ſe, tùm quoque per Michaelem Imperatorem, ut ab eo ſuæ electionis ſeu potiùs ſuæ in Sedem Conſtantinopolitanam intruſionis, confirmationem obtineret. Poſteà cum vidit ſe à Papa damnatum, non potuit Primatum deſpicere, quin pugnaret ſecum & quamvis faſtidioſè ejus auctoritatem contemneret, nihilo ſecius à Joanne Papa VIII. poſtulavit ut ejus in Sedem Conſtantinopolitanam approbaret reſtitutionem. Conſenſus omnium Orientalium Eccleſiarum ad ſtabiliendum Juriſdictionis Primatum conſpirat. Hæc veritas ab his etiam ſchiſmaticis, quorum plus intereſt illam impugnare,

Digitized by Google

accipit teſtimonia. Inter innumeras criminationes quas ad diluendum ſeparationis crimen congerunt, ne ullum quidem verbum reperias contra primatum & auctoritatem Epiſcopi Romani. Multi cenſebant ſervandam eſſe cum Latinis communionem, & non niſi per gradus imminuta eſt erga Pontifices Romanos reverentia, donec tandem his ultimis ſæculis inter ſchiſmaticos videtur collapſa. Adeo altè mentibus inſculpta erat hujus dogmatis veritas, ut etiam nunc qui illud impugnant, nihil oderunt in Primatu, niſi faſtuoſam dominationem.

Probato hactenus Summos Pontifices perpetuo poſſeſſionis jure auctoritatem in omnes Eccleſias particulares habuiſſe : duo nunc nobis conſideranda videntur. 1°. Quoſdam SS. Patres aliquando neceſſitate fuiſſe coactos illis exprobrare præcipitationem & nimiam ſeveritatem, numquam verò ipſammet auctoritatem negaſſe, quod maximo argumento eſt non poſſe Primatum eorum attentari. 2°. Epiſcopos & Eccleſias Orientales ad Epiſcopos Romanos ſæpiùs confugiſſe ; nuſquam verò ſeu Pontifices Romanos, ſeu etiam alios Occidentis Epiſcopos provocaſſe ad Alexandrinos, Antiochenos, aut Conſtantinopolitanos ; quod manifeſtè denotat in Epiſcopis Romanis ſuperioritatem, cujus nulla origo reperitur, niſi in inſtitutione Chriſti, qui conſtituit S. Petrum omnium Apoſtolorum Caput.

7°. Præter ea quæ ſupra breviter retulimus veterum Conciliorum de Primatu teſtimonia, in ultimorum temporum Conciliis hoc dogma formaliter definitum reperimus. Concilium Conſtantienſe, inter cœteros articulos Joannis Hus, hunc damnavit numero ſeptimum : *Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ.* Item hunc numero 41. Wiclefi ; *non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe Supremam inter alias Eccleſias.* » Error eſt . . . pro quanto negaret Pri-» matum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares (1) «.

Merito igitur Illuſtriſſimus Meldenſium Epiſcopus, in ſuâ *Expoſitione*, &c. inter catholicæ fidei dogmata refert Summi Pontificis Primatum Jure divino : » Cum Chriſtus Eccleſiam ſuam unam eſſe voluerit » & firmiter in unitate fundatam, Primatum B. Petri ad illam con-» tinendam, coagmentandamque inſtituit ; quare eumdem agnoſcimus » Primatum in Principis Apoſtolorum Succeſſoribus, quibus idcircò

(1) Tom. 12. Concil. Labb. p. 265. 266.

» ea ſubjectio debetur ; ea obedientia quam ſancta Concilia, ſanctique » Patres Chriſtianos ubiquè docuerunt (1).

Item Clerus Gallicanus dogma iſtud tamquam ad fidem ſpectans agnovit in ſuâ celebri Declaratione anni 1682. » Hanc verò Fidei » Catholicæ ſummam à Clero Gallicano fundamenti loco ſincerè eſſe » poſitam nemo negaverit, inquit Boſſuetus, cùm Romanos Pontifi- » ces, Petri Succeſſores Chriſtique Vicarios ubique prædicent, cum- » que Primatum B. Petri ejuſque Succeſſorum Romanorum Pontifi- » cum, à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis » obedientiam .... agnoſcant (2).

Jam antea anno 1542 hanc Doctrinam adſcripſerat Articulis Fidei Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis (art. 23.). » Nec minus certum » eſt unum eſſe Jure divino Romanum in Eccleſiâ Militante Pontifi- » cem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur «. Addimus Cenſuram Sorbonicam in hanc propoſitionem *Antonii de Dominis :* » Erat Eccleſia » Romana præcipua nobilitate, exiſtimatione & dignitatis auctoritate, » non regiminis & juriſdictionis principatu ». Quam propoſitionem ſic reprobat Facultas Pariſienſis : » Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſ- » matica, quatenùs expreſſè inſinuat Romanam Eccleſiam Jure divino » auctoritatem in alias Eccleſias non habere.

Nihil accuratiùs ac diſertiùs expreſſum, quàm quod de hoc doctrinæ articulo exponunt Parochi Pariſienſes, in ſuâ Apologiâ, » Pontificem » Romanum tanquam Eccleſiæ Caput accepiſſe à Chriſto primatum » honoris & juriſdictionis ad invigilandum in omni Eccleſiâ tam fidei » & unitatis conſervationi, quam ſacrorum Canonum obſervationi (3).

In hâc ipſâ Eccleſiâ Reverendiſſimus Coddæus in ſuâ Declaratione apologeticâ docet : *Summum Pontificem ex inſtitutione divinâ eſſe omnium Epiſcoporum Caput.* Idem teſtimonium confirmat D. Erkelius, totius Cleri nomine, in ſcripto cui titulus eſt : *Proteſtatio denuo aſſerta* (4). Eandem quoque doctrinam videre eſt in actis hujus Eccleſiæ poſterioribus.

» Qui in Summo Pontifice nullam aliam agnoſcunt ſuperioritatem

(1) Boſſuet Expoſit. n. 21.
(2) Boſſuet appendix ad Declarat. Cleri Gallic. l. 1. c. 1. p. 2.
(3) Apol. p. 138. 139.
(4) P. 2. & 95.

» niſi juris humani, miſeri ſunt, ait Boſſuetus, cùm non videant Pri-
» matum quem experientia docet eſſe Eccleſiæ adeo neceſſarium, di-
» gnum eſſe ut à Chriſto inſtitueretur ; præterea id quod in omnibus
» ſæculis reperitur confirmatum non poſſe oriri niſi à Chriſto (1).

Igitur ſacræ Synodo denuntiamus ſequentes propoſitiones, tanquam jam ab Eccleſiâ damnatas.

I.

On ne peut prouver par l'Ecriture Sainte, que J. C. ait donné la primauté à S. Pierre. On ne peut prouver la même choſe par les ſept premiers Conciles généraux, les ſeuls reçus par l'Egliſe univerſelle, Grecque & Latine. P. 47.

Les principaux paſſages du Nouveau Teſtament que l'on apporte pour prouver la primauté & la ſupériorité de l'Evêque de Rome au-deſſus des autres Evêques, ne peuvent être appliqués uniquement à S. Pierre, tous ces paſſages ayant été pris & expliqués par les Peres même les plus attachés à la primauté dans des ſens tout-à-fait différens : d'où il réſulte qu'ils ne peuvent jamais former un article de foi, c'eſt-à-dire une déciſion certaine, inébranlable & invincible, que S. Pierre ait eu de droit divin la primauté & la ſupériorité au-deſſus des autres Apôtres, & que par conſéquent l'Evêque de Rome lui ait ſuccédé dans ſes privileges, c'eſt-à-dire qu'il ſoit de droit divin le premier & le ſupérieur des autres Evêques. P. 66.

On ne peut prouver ſolidement par l'Ecriture Sainte, que J. C. ait donné la primauté & la ſupériorité à S. Pierre, ni que ce Saint ait été décoré de ces prérogatives en quelque maniere que ce ſoit. P. 75.

I.

Probari non poteſt Scripturâ Sacrâ, Chriſtum dediſſe primatum S. Petro. Non poteſt probari idem per ſeptem prima Concilia generalia, ſola quæ ſint recepta ab Eccleſiâ univerſali, Græcâ & Latinâ.

Præcipui textus Novi Teſtamenti qui aſſeruntur ad probandum primatum & ſuperioritatem Epiſcopi Romani in alios Epiſcopos, non poſſunt applicari unicè ſancto Petro, omnibus his textibus adhibitis & explicatis à Patribus, etiam primatui addictiſſimis, in ſenſu diſſimili : inde ſequitur textus illos non poſſe unquam conſtituere articulum fidei, id eſt, definitionem certam, inconcuſſam & invincibilem, quod ſanctus Petrus habuerit Jure divino primatum & ſuperioritatem in cæteros Apoſtolos ; & proinde quod Epiſcopus Romanus ei ſucceſſerit in ſuis privilegiis, id eſt, ſit Jure divino primus & ſuperior aliorum Epiſcoporum.

Non poteſt probari ſolidis argumentis per Scripturam Sacram, Jeſum Chriſtum dediſſe primatum & ſuperioritatem ſancto Petro : neque illum decoratum fuiſſe his prærogativis, quoquomodo ſit.

(1) Boſſ. Oper. poſth. tom. 3. V. l. 5. Hiſt. Var. art. 27. p. 206.

Digitized by Google

Il eſt donc vrai qu'on ne peut pas prouver, par l'Ecriture Sainte, que S. Pierre ait jamais eu la primauté & la ſupériorité au-deſſus des autres Apôtres; & qu'au contraire on peut prouver, par cette même écriture, qu'il n'a jamais été décoré de ces prérogatives. P. 80.

Verum igitur eſt non poſſe probari per Scripturam Sanctam, quod ſanctus Petrus habuerit unquam primatum & ſuperioritatem in alios Apoſtolos : è contrario poſſe probari per hanc ipſam Scripturam quod nunquam fuit decoratus his prærogativis.

II.

Nous n'avons aucune preuve ſolide que S. Pierre ait inſtruit les Romains, ni qu'il ait été à Rome. Il y a beaucoup plus d'apparence que les Evêques de Rome ſont plutôt Succeſſeurs de S. Paul que de S. Pierre. P. 144.

II.

Nullum habemus argumentum certum quod S. Petrus docuerit Romanos, nec quod fuerit Romæ. Multò veriſimiliùs eſt quod Epiſcopi Romani ſunt potiùs Succeſſores ſancti Pauli quàm ſancti Petri.

III.

Depuis le cinquieme ſiècle juſqu'au ſeptième, Rome ne s'eſt pas oubliée pour faire reconnoître ſa prétendue ſupériorité dans toutes les portions de l'Egliſe Catholique: & elle eſt venue à bout par différens ſtratagêmes, & par l'autorité même des Empereurs, de ſubjuguer pluſieurs Métropolitains, ſurtout en Illyrie. P. 129.

III.

A quinto ſæculo uſque ad ſeptimum, Roma nihil omiſit ut ſua agnoſceretur prætenſa ſuperioritas in omnibus portionibus Eccleſiæ Catholicæ; & perfecit ut per varia ſtratagemata, & per auctoritatem etiam Imperatorum ſubjugaret plures Metropolitanos, præſertim in Illyriâ.

IV.

L'Evêque de Rome n'a pas la primauté de droit divin..... il ne l'a reçue qu'en conſéquence de ce qu'il étoit Evêque de la premiere Ville de l'Empire Romain.... Sa primauté conſiſte ſeulement à avoir la prérogative d'honneur, c'eſt-à-dire, à recevoir en premier les mêmes honneurs que les autres Evêques, dans une parfaite égalité. P. 48.

IV.

Epiſcopus Romanus primatum non habet Jure divino...... ideo illum accepit, quia erat Epiſcopus urbis Imperii Romani Capitis..... Primatus ejus in eo eſt tantum, ut habeat prærogativam honoris, id eſt, ut accipiat primariò eoſdem honores quos cæteri Epiſcopi (accipiunt) in perfectâ æqualitate.

V.

L'Evêque de Rome eſt un Evêque particulier, auſſi-bien que tout autre; & il n'a aucune juriſdiction,

V.

Epiſcopus Romanus eſt particularis Epiſcopus, ſicut quivis alius; & nullam habet juriſdictionem, nullam ſu-

aucune ſupériorité, ni de Droit divin, ni de Droit eccléſiaſtique au-deſſus des autres Evêques. P. 92.

perioritatem neque Jure divino, neque Jure eccleſiaſtico ſuper alios Epiſcopos.

VI.

Il ſuit de tout ce que j'ai dit juſqu'ici au ſujet de l'Evêque de Rome .... que ſa primauté, que ſa ſupériorité, que ſa juriſdiction ſur les autres Evêques eſt une pure fable; & que les Canons qui bornent la juriſdiction des autres Evêques, bornent également la ſienne; & que, ſelon les mêmes Canons, il doit renfermer ſes ordres, ſes Bulles, ſes Decrets, &c. dans les limites de ſon Diocèſe, & ne pas entreprendre d'exercer ſon autorité ſur ſes Confreres, non plus que ſur les Egliſes particulieres, P. 130.

VI.

Sequitur ex his quæ dixi hactenus, quod primatus (Papæ), ejus ſuperioritas, ejus juriſdictio in alios Epiſcopos, eſt merum commentum; & quod Canones qui limitant juriſdictionem aliorum Epiſcoporum, limitant pariter ejus (auctoritatem): & quod ſecundum eoſdem Canones debet continere ſua mandata, ſuas Bullas, ſua Decreta intra limites ſuæ Diæceſeos, & non conari exercere ſuam auctoritatem in ſuos Collegas, nec in Eccleſias particulares.

VII.

Il ſuit encore que la primauté dont il jouit n'eſt pas une primauté de juriſdiction .... mais ſeulement une primauté d'honneur .... Il ſuit encore que toute la puiſſance & l'autorité qu'il a maintenant ſur les Evêques, ſur les Egliſes particulieres (& ſur l'Egliſe même univerſelle) ſont des uſurpations très-criminelles. P. 130.

VII.

Sequitur adhuc quod primatus quo fruitur non eſt primatus juriſdictionis ...... ſed tantum primatus honoris ... Sequitur etiam omnem poteſtatem & auctoritatem quam habet nunc in Epiſcopos, in Eccleſias particulares (& in Eccleſiam etiam univerſalem) eſſe uſurpationes flagitioſiſſimas.

VIII.

Concluons, 1°. que les Peres n'ont pas cru que l'Evêque de Rome eût la primauté de Droit divin: 2°. Que par le nom de primauté ils n'ont entendu qu'une ſimple prérogative d'honneur, qu'ils ne lui ont donnée qu'en conſidération de la Ville de Rome, ſeulement de la maniere qu'ils ont donné la même prérogative d'honneur à l'Evêque de C. P. par la même raiſon, c'eſt-à-dire,

VIII.

Concludamus primò, quod Patres non crediderint Epiſcopum Romanum habere primatum Jure divino: 2°. Quod per nomen primatûs non intellexerint niſi prærogativam honoris, quam ei non conceſſerunt niſi tantum in urbis Romæ reſpectum; eodem modo quo conceſſerunt eandem prærogativam honoris Epiſcopo Conſtantinopolitano; eâdem ratione, id eſt, quia Conſtantinopolis erat etiam urbs Im-

c'eſt-à-dire, parce que C. P. étoit auſſi une Ville Impériale, une Ville regnante; d'où il réſulte une conſéquence néceſſaire, ſçavoir que, ſi par malheur Rome & C. P. venoient à périr par quelque déſaſtre, ou à être emportées par l'héréſie, il n'y auroit plus d'Evêque dans l'Egliſe à qui la prérogative d'honneur fût déférée en conſidération des anciens Réglemens. P. 132.

perialis, urbs regnatrix. Unde colligitur conſequentia neceſſaria, ſcilicet quod ſi infeliciter Roma & Conſtantinopolis perirent aliquo infeſto caſu, aut hæreſi abriperentur, nullus amplius eſſet Epiſcopus in Eccleſiâ, cui prærogativa honoris deſerretur, juxtà antiquas conſtitutiones.

DECRETUM III.

Declarat ſancta Synodus:

I.

Apoſtolum Petrum à Chriſto Domino primatu ſuprà cœteros Apoſtolos donatum fuiſſe, *ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur* (1).

I I.

Sanctum *Petrum*, *in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratiâ præeminet* (2), *propter* hunc *Apoſtolatûs ſui primatum*, *Eccleſiæ* geſſiſſe, *figuratâ generalitate*, *perſonam* (3).

I I I.

Epiſcopum Romanum, tanquam Petri *Succeſſorem* (4); Jure divino eodem primatu frui ſuprà cœteros Epiſcopos.

I V.

Hunc primatum Romani Pontificis, tanquam Petri Suc-

(1) S. Cyprian. de Unit. Eccleſ.
(2) S. Cyprian. ibid.
(3) S. Aug. l. 2. de bapt. & tract. 124. in Joann.
(4) Conc. Eph. œcum. act. 3.

L

ceſſoris, non eſſe tantum primatum honoris, ſed etiam eccleſiaſticæ *poteſtatis & auctoritatis* (1).

V.

Romanum Pontificem, tanquam Petri Succeſſorem, eſſe Jure divino Caput viſibile & *miniſteriale* (2) Eccleſiæ fundatæ à Chriſto, qui eſt Caput ejus inviſibile & vivificans; ac proinde ejuſdem Chriſti primum eſſe in terris Vicarium, *cui totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt* (3).

Ideo damnat ſancta Synodus propoſitiones ſibi denuntiatas : nempè :

I.

On ne peut prouver par l'Ecriture Sainte, que J. C. ait donné la primauté à S. Pierre. On ne peut prouver la même choſe par les ſept premiers Conciles généraux, les ſeuls reçus par l'Egliſe univerſelle Grecque & Latine.

Les principaux paſſages du Nouveau Teſtament, que l'on apporte pour prouver la primauté & la ſupériorité de l'Evêque de Rome au-deſſus des autres Evêques, ne peuvent être appliqués uniquement à S. Pierre ; tous ces paſſages ayant été pris & expliqués par les Peres, même les plus attachés à la primauté, dans des ſens tout-à-fait différens. D'où il réſulte qu'ils ne peuvent jamais former un article de foi, c'eſt-à-dire, une déciſion certaine, inébranlable & invincible, que S. Pierre ait eu de Droit

I.

Probari non poteſt Scripturâ Sacrâ, Chriſtum dediſſe primatum ſancto Petro. Non poteſt probari idem per ſeptem prima Concilia generalia, ſola quæ ſint recepta ab Eccleſiâ univerſali Græcâ & Latinâ.

Præcipui textus Novi Teſtamenti qui aſſeruntur ad probandum primatum & ſuperioritatem Epiſcopi Romani in alios Epiſcopos, non poſſunt applicari unicè ſancto Petro; omnibus his textibus adhibitis & explicatis à Patribus, etiam primatui addictiſſimis, in ſenſu diſſimili. Inde ſequitur textus illos non poſſe unquam conſtituere articulum fidei, id eſt, definitionem certam, inconcuſſam & invincibilem, quod S. Petrus habuerit Jure divino primatum & ſuperioritatem in cæteros Apoſtolos; & proindè quod Epiſcopus Romanus ei ſucceſſerit in ſuis privi-

(1) Conc. Eph. ſupra. Concil. Milevit. Epiſt. ad Innoc. I.
(2) Concil. Baſil. œcum.
(3) S. Greg. l. 5. Epiſt. 20.

divin la primauté & la ſupériorité au-deſſus des autres Apôtres ; & que par conſéquent l'Evêque de Rome lui ait ſuccédé dans ſes privileges, c'eſt-à-dire, qu'il ſoit de Droit divin le premier & le Supérieur des autres Evêques.

legiis, id eſt, ſit Jure divino primus & ſuperior aliorum Epiſcoporum.

On ne peut prouver ſolidement par l'Ecriture Sainte, que Jeſus-Chriſt ait donné la primauté & la ſupériorité à Saint Pierre ; ni que ce Saint ait été décoré de ces prérogatives en quelque maniere que ce ſoit.

Non poteſt probari ſolidis argumentis per Scripturam Sacram, Jeſum Chriſtum dediſſe primatum & ſuperioritatem ſancto Petro : neque illum decoratum fuiſſe his prærogativis, quoquomodo ſit.

Il eſt donc vrai qu'on ne peut pas prouver par l'Ecriture Sainte, que Saint Pierre ait jamais eu la primauté & la ſupériorité au-deſſus des autres Apôtres ; & qu'au contraire on peut prouver par cette même Ecriture, qu'il n'a jamais été décoré de ces prérogatives.

Verum igitur eſt non poſſe probari per Scripturam Sacram, quod ſanctus Petrus habuerit unquam primatum & ſuperioritatem in alios Apoſtolos : è contrario poſſe probari per hanc ipſam Scripturam, quod nunquam fuit decoratus his prærogativis.

II.

Nous n'avons aucune preuve ſolide que S. Pierre ait inſtruit les Romains, ni qu'il ait été à Rome. Il y a beaucoup plus d'apparence que les Evêques de Rome ſont plûtôt Succeſſeurs de S. Paul que de S. Pierre.

II.

Nullum habemus argumentum certum quod S. Petrus docuerit Romanos, nec quod fuerit Romæ. Multò veriſimilius eſt quod Epiſcopi Romani ſunt potius Succeſſores ſancti Pauli quàm ſancti Petri.

III.

Depuis le cinquieme ſiecle juſqu'au ſeptieme, Rome ne s'eſt pas oubliée pour faire reconnoître ſa prétendue ſupériorité dans toutes les portions de l'Egliſe Catholique : & elle eſt venue à bout par différens ſtratagêmes, & par l'autorité même des Empereurs, de ſubjuguer pluſieurs Métropolitains, ſur-tout en Illyrie.

III.

A quinto ſæculo uſque ad ſeptimum, Roma nihil omiſit ut ſua agnoſceretur prætenſa ſuperioritas in omnibus portionibus Eccleſiæ Catholicæ. Et perfecit, ut per varia ſtratagemata & per auctoritatem etiam Imperatorum ſubjugaret plures Metropolitanos, præſertim in Illyriâ.

IV.

L'Evêque de Rome n'a pas la primauté de Droit divin.... Il ne l'a reçûe qu'en conſéquence de ce

IV.

Epiſcopus Romanus primatum non habet Jure divino..... ideò illum accepit, quia erat Epiſcopus urbis

qu'il étoit Evêque de la premiere ville de l'Empire Romain.... Sa primauté conſiſte ſeulement à avoir la prérogative d'honneur, c'eſt-à-dire, à recevoir en premier les mêmes honneurs que les autres Evêques dans une parfaite égalité.

Imperii Romani Capitis ... primatus ejus in eo eſt tantùm ut habeat prærogativam honoris, id eſt, ut accipiat primariò eoſdem honores quos cæteri Epiſcopi (accipiunt) in perfectâ æqualitate.

V.

L'Evêque de Rome eſt un Evêque particulier, auſſi bien que tout autre, & il n'a aucune juriſdiction, aucune ſupériorité ni de Droit divin, ni de Droit eccléſiaſtique, au-deſſus des autres Evêques.

Epiſcopus Romanus eſt particularis Epiſcopus, ſicut quivis alius; & nullam habet juriſdictionem, nullam ſuperioritatem, neque Jure divino, neque Jure eccleſiaſtico, ſuper alios Epiſcopos.

VI.

Il ſuit de tout ce que j'ai dit juſqu'ici au ſujet de l'Evêque de Rome .... que ſa primauté, que ſa ſupériorité, que ſa juriſdiction ſur les autres Evêques eſt une pure fable : & que les Canons qui bornent la juriſdiction des autres Evêques bornent également la ſienne ; & que, ſelon les mêmes Canons, il doit renfermer ſes ordres, ſes Bulles, ſes Decrets, &c. dans les limites de ſon Diocèſe, & ne pas entreprendre d'exercer ſon autorité ſur ſes Confreres, non plus que ſur les Egliſes particulieres.

Sequitur ex his quæ dixi hactenùs, quod primatus (Papæ), ejus ſuperioritas, ejus juriſdictio in alios Epiſcopos, eſt merum commentum; & quod Canones qui limitant juriſdictionem aliorum Epiſcoporum, limitant pariter ejus (auctoritatem): & quod ſecundum eoſdem Canones debet continere ſua mandata, ſuas Bullas, ſua Decreta intra limites ſuæ Diœceſeos, & non conari exercere ſuam auctoritatem in ſuos Collegas nec in Eccleſias particulares.

VII.

Il ſuit encore que la primauté dont il jouit n'eſt pas une primauté de juriſdiction, mais ſeulement une primauté d'honneur ... Il ſuit encore que toute la puiſſance & l'autorité qu'il a maintenant ſur les Evêques, ſur les Egliſes particulieres (& ſur l'Egliſe même univerſelle) ſont des uſurpations très-criminelles.

Sequitur adhuc, quod primatus quo fruitur, non eſt primatus juriſdictionis .... ſed tantùm primatus honoris ... Sequitur etiam quod omnis poteſtas & auctoritas quam habet nunc in Epiſcopos, in Eccleſias particulares (& in Eccleſiam etiam univerſalem) eſſe uſurpationes flagitioſiſſimas.

VIII.

Concluons, 1°. que les Peres

Concludamus, 1°. quod Patres

Digitized by Google

n'ont pas cru que l'Evêque de Rome eût la primauté de Droit divin. 2°. Que par le nom de primauté, ils n'ont entendu qu'une ſimple prérogative d'honneur, qu'ils ne lui ont donnée qu'en conſidération de la ville de Rome, ſeulement de la maniere qu'ils ont donné la même prérogative d'honneur à l'Evêque de Conſtantinople, par la même raiſon, c'eſt-à-dire, parce que Conſtantinople étoit auſſi une Ville Impériale, une Ville regnante; d'où il réſulte une conſéquence néceſſaire, ſçavoir, que ſi par malheur Rome & Conſtantinople venoient à périr par quelque déſaſtre, ou à être emportées par l'héréſie, il n'y auroit plus d'Evêque dans l'Egliſe à qui la prérogative d'honneur fût déférée en conſidération des anciens Réglemens.

non crediderint Epiſcopum Romanum habere primatum Jure divino. 2°. Quod per nomen primatûs non intellexerint niſi prærogativam honoris, quam ei non conceſſerunt niſi tantum in urbis Romæ reſpectum, eodem modo quo conceſſerunt eamdem prærogativam honoris Epiſcopo Conſtantinopolitano, eâdem ratione, id eſt, quia Conſtantinopolis erat etiam urbs Imperialis, urbs Regnatrix. Unde colligitur conſequentia neceſſaria, ſcilicet, quod ſi infeliciter Roma & Conſtantinopolis perirent aliquo infeſto caſu, aut hæreſi abriperetur, nullus amplius eſſet Epiſcopus in Eccleſiâ, cui prærogativa honoris deferretur, juxta antiquas Conſtitutiones.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, tanquam falſas, ſchiſmaticas, verbo Dei ac conſtanti traditionis doctrinæ adverſas, erroneas, & etiam hæreticas; eo quod, doceant, Sanctum Petrum, ejuſque Succeſſores, à Chriſto Domino noſtro primatum honoris & eccleſiaſticæ auctoritatis non accepiſſe.

Digitized by Google

RELATIO IV.

De teſtimonio SS. Patrum, ac de Eccleſiæ diſperſæ auctoritate.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

IN tantâ errorum, ſophiſmatum, atque ultra modum critices ebullitione, quibus ſcatet liber cui titulus : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle, &c.* prætermittere non poſſumus quod denuntiator docet circa Patrum teſtimonia, Eccleſiæque, cùm diſperſa eſt, auctoritatem. Cùm inficiari non poſſit, SS. Doctorum teſtimonio, atque perpetuo univerſalis Eccleſiæ documento fundatum ac conſtitutum Summi Pontificis Jure divino primatum, perditè conatur graviſſimum ac perincommodum tantæ auctoritatis pondus excutere. Docet enim quod *etiamſi omnes ſimul Patres tenerent, ſancto Petro Jure divino conceſſum fuiſſe primatum, quantacumque illis debita ſit reverentia, non inde ſequeretur, ex his auctoritatibus ſimul conjunctis articulum fidei, id eſt, definitionem dogmaticam univerſalis Eccleſiæ poſſe conſtitui, cui ſub damnationis æternæ pœnâ adhærendum eſſet. Nam*, ut addit, *Eccleſia non pronuntiat ac ſtatuit, niſi congregata, penſato priùs, non ſolum an Patres unanimiter ſentiant, ſed etiam, ut ait Concilium generale quintum, an eorum ſententia conſentanea ſit cum Scripturâ ſacrâ, præcedentiumque Conciliorum generalium ſtatutis. Atqui Eccleſia congregata nihil unquam ſtatuit de primatu ac ſuperioritate ſancti Petri, ejuſque Succeſſorum. Ergo non danda eſt tanquam articulus fidei, de quo dubitari non liceat, ſententia quæ declarat S. Petrum, ejuſque Succeſſores, Jure divino, ac etiam Jure eccleſiaſtico, habere primatum, aliiſque Epiſcopis ſuperiores eſſe.* P. 82.

Denuntiator, cùm non omninò dedidicerit doctrinam quam in Catholicâ hauſit Eccleſiâ, planè intellexit quantum hæc verba, *omnes ſimul Patres*, non ſolùm Theologos, ſed ſimplices etiam Fideles poſſint offendere. Monet igitur, verſus denuntiationis ſuæ finem, pro his verbis legendum eſſe : *multi Patres, ingens Patrum numerus.* Verum hæc ver-

borum emendatio ſeu mitigatio, non minùs in ſanctos Doctores injurioſa, exhibet potiùs hominem perplexum & irretitum, quàm Theologum qui ad meliorem frugem ſe recipit, & Eccleſiæ doctrinam, unde exciderat, ſincerè & humiliter profitetur.

Unanimis Patrum conſenſus, circà quæſtiones quæ ad fidem & mores pertinent, habitus omni ætate fuit tanquam Catholicæ Doctrinæ certum teſtimonium. *Quod ſpectat ad dogma, ædificationem & mores*, inquit Illuſtriſſimus Boſſuetus, *quando Patres unanimiter ſentiunt, ſola eorum unanimitas, quæ certitudinis & evidentiæ eſt argumentum, ſuprema lex eſt non minus antiqua quàm eſt ipſa Eccleſia* (1). Sed ut exploratum ſit nobis de hâc unanimitate, *neceſſe non eſt*, juxta doctiſſimum Præſulem, *ut nominatim in teſtimonium adhibeatur maximus ſanctorum Patrum numerus. Hujus ſententiæ S. Auguſtini & Vincentii Lirinenſis meminiſſe ſat eſt, nempè, quod cùm ejuſdem fidei eſſent omnes SS. Patres, qui plures audit, omnes audit* (2). *Quod ſi aliqui inter eos*, pergit Auctor illuſtriſſimus, *ſeorſum ab aliis ſenſerint, aut ſententiam ſuam aliis verbis ſcripſerint, exinanita eſt eorum opinio, nec in partem venit Eccleſiæ traditionis: eam enim non à traditione acceperant, non in ſonte traditionis hauſerant* (3). Probandum igitur eſſet illi qui circa quandam dogmaticam quæſtionem de unanimi SS. Doctorum ſententiâ minime conveniret, Patres in eo dogmate diſcrepaſſe, continuamque fuiſſe eorum diſcrepantiam, tacente Eccleſiâ, ſive congregatâ, ſive diſperſâ. Quod certè locum non habet in quæſtione de Summi Pontificis primatu jure divino. Unanimis enim ſemper fuit de hâc re Patrum conſenſus, quemadmodum coram ſanctâ Synodo jam fuſiùs expoſitum eſt.

Sed neque plus unanimem Patrum quàm privatam quorumdam auctoritatem reveretur Denuntiator. Nam modò aſſerit *dubitari* poſſe de doctrinâ quæ ab Eccleſiâ univerſali non eſt definita; modò nihil ab

(1) Boſſuet » pour les points de dogme, d'édification & de mœurs, lorſque les » Peres ſont unanimes, leur ſeule unanimité, qui eſt la preuve de la certitude & de » l'évidence, eſt une loi ſouveraine auſſi ancienne que l'Egliſe «. Tom. 2. p. 494.

(2) Boſſuet » il n'eſt pas néceſſaire de citer toujours un grand nombre de Peres: » il ſuffit de ſe ſouvenir de cette maxime de S. Auguſtin & de Vincent de Lerins, » que comme ils étoient tous d'une même foi, qui en entend quelques-uns les entend » tous «. Tom. 2. p. 467.

(3) Idem. » Si quelques-uns d'eux ont eu quelque choſe de particulier dans leurs » ſentimens ou dans leurs expreſſions, tout cela s'eſt évanoui, & n'a pas fait tige » dans l'Egliſe. Ce n'étoit pas là auſſi ce qu'ils y avoient appris, ni ce qu'ils avoient » tiré de la racine «. Tom. 4. p. 121.

Digitized by Google

Eccleſiâ definitum pronuntiari, niſi cùm eſt in Concilium congregata. Nonne dicere eſt pleno ore, *dubitari* poſſe de unanimi Patrum doctrinâ, quando nondum eſt ab Eccleſiâ definita in Concilio œcumenico; proindeque hanc, quantumvis unanimem, non eſſe regulam certam ante Eccleſiæ congregatæ definitionem. Admiſſâ igitur verborum Denuntiatoris ſupra dictâ emendatione, etiamſi ad pauciores Patres ab aliis diſſentientes reduceretur, eadem ſemper remanet ejus doctrinæ perverſitas. Protritus graviſſimo SS. Doctorum auctoritatis pondere, eorum tentat teſtimonium elevare: ſed fruſtra. Patrum Doctrina ſemper erit Eccleſiæ Doctrina. Denuntiator verò, dum fideles ejuſdem doctrinæ teſtes ejurat, ſe ſanctis Doctoribus adverſari teſtificatur, prorsùſque omnium novatorum morem æmulatur.

Neque his profanis novitatibus continetur Denuntiatoris temeritas: ultra procedit. Non ſatis ei, SS. Patrum teſtimonia recuſare, Eccleſiæ etiam auctoritatem attenuare conatur. *Plus dico*, inquit (1), *etiamſi ab omnibus in Eccleſiâ diſperſâ generatim quædam teneretur ſententia, nullo per multa ſæcula reclamante, non ideo dici poſſet hanc ſententiam definitam eſſe ab Eccleſiâ univerſali. Eccleſia enim, cum diſperſa eſt, nullam facit definitionem dogmaticam; exequendum curat tantum quod ipſamet ſtatuit congregata. Nihil enim ſtatuit niſi in Concilio generali.*

Expendantur Denuntiatoris verba; & ut pateat venenum, conferantur cum eo quod ſupra dixit. Non hic enim loquitur de opinione quæ diſcrepat inter Catholicos, verum de ſententiâ quam abſque ullâ reclamatione ſequuntur omnes. Non de ſimplici concluſione theologicâ quæ adoptatur in Scholis, neque de piâ quadam ſententiâ, quæ quidem non ſine ſcandalo & temeritate impugnari poteſt, cui tamen inhærendum tamquàm fidei articulo non præcipit Eccleſia; ſed agit de doctrinâ qualis eſt Summi Pontificis primatus, nempè de doctrina quam omnes Eccleſiæ Paſtores prædicant tamquam dogma quod ad revelationem pertinet, quod in Scripturâ continetur, quodque omni ætate creditum ad nos uſque perpetuâ traditione tranſlatum eſt. Si cuique homini privato de tali doctrinâ *dubitare* liceat, eo quod nihil de ea in Concilio generali definitum fuerit ab Eccleſiâ, quàm lata novatoribus pateſit janua, ut impunè ſanctiſſimæ noſtræ Religionis certiſſimæ veritates impugnent! Fruſtra omnes Eccleſiæ Paſtores, cum diſperſi

(1) P. 83.

ſunt,

ſunt, hoc aut illud dogma unanimi voce prædicabunt tamquam ad revelationem ſpectans; ſi fortè cuidam temerario & audaci diſpliceat, illud quidem habebit tamquam opinionem ab omnibus receptam, de quâ tamen dubitari poteſt, quia nulla fuit ab Eccleſiâ congregatâ facta definitio de eâ doctrinâ à nemine unquam impugnatâ.

Quis audiat hæc, nec perhorreſcat? Ante primi Concilii Nicæni tempora nullum extabat de ullo dogmate ab Eccleſiâ congregatâ latum Decretum. Poterat ergo, ex Denuntiatoris principiis, quilibet homo catholicus omnia catholica dogmata in dubium revocare abſque ſalutis æternæ detrimento. Poterat etiam poſt Concilium haberi tamquam obſcurum & obnubilatum quodcumque in eo definitum non fuerat. Idem de omnibus Conciliis œcumenicis dicendum erit, & fides pro objecto tantùm habebit pauca numero dogmata; nam Denuntiator non alia agnoſcit Concilia generalia, niſi ea quibus adfuere Græci, ſeptem videlicet prima Concilia (1). Unde neceſſariò inferre debet, alia dogmata, quæcumque definita ſunt in poſterioribus Conciliis, quæ pro œcumenicis habet Occidentalis Eccleſia, & ſpeciatim in Concilio Tridentino, non eſſe fidei dogmata quibus ſub damnationis pœnâ adhærere debeamus. Ingenia, quale eſt noſtri Denuntiatoris, fœcunda ſophiſmatibus, multa etiam objicienda reperient contra Conciliorum œcumenicitatem quæ ipſe indubitanter pro generalibus habet. Ea tantùm agnoſcent quæ contra ſuos errores nihil decreverint. Quaſi prædæ erunt omnia catholica dogmata; nec erit ampliùs, quæ ſemper fuit, regula credendorum, unanimis Paſtorum, ſive congregatorum, ſive diſperſorum conſenſus, ſed cujuſque privati hominis arbitrium.

Quam procaciter inſectantur Denuntiatoris horrenda principia Eccleſiæ infallibilitatem! Jeſus-Chriſtus, priuſquam aſcenderet in cœlum, dixit Apoſtolis, & in eorum perſonâ omnium ſæculorum Paſtoribus, futurum ſe cum eis docentibus & baptiſantibus *uſque ad conſummationem ſæculi* (2). Quibus verbis communis fides eſt immutabiliter promiſſam eſſe Eccleſiæ infallibilem auctoritatem in omnibus quæ populo fideli ab Ordine Paſtorum univerſali credenda proponuntur circa fidem & mores, ſive per modum inſtructionis, ſive per modum definitionis.

(1) *Nota.* Septem tantum Concilia generalia, in quibus Græci adſuerint, admittit Denuntiator. *Précis*, &c. p. 47.
(2) Math. 28. 20.

Sed ſi verum ſit Denuntiatoris ſiſtema, quorſum evadit illud Chriſti promiſſum? Certè nullum aliud habet objectum præter id quod Eccleſia in Concilio generali congregata definiendo credendum proponit. Cùmque non neſciat raro in Eccleſiâ Concilia œcumenica convocari, atque in his tantùm cauſis ubi definienda ſunt quædam dogmata, quæ à novatoribus impugnantur, evidens eſt à Denuntiatore non haberi Eccleſiam infallibilem, cùm ea docet de quibus nihil unquam in Concilio œcumenico ſtatutum fuit, quantumvis unanimis ſit in docendo Paſtorum conſenſus. Re quidem verâ, ſi Denuntiatori fides adhibeatur, *dubitari* legitimè poteſt de doctrinâ unanimiter acceptâ & prædicatâ, quæ nunquam in Concilio generali definita eſt. Quomodo autem fieri poteſt ut infallibile habeatur documentum de cujus veritate legitime *dubitari* poteſt? tale documentum incertum eſt, ſi de eo poſſit *dubitari*. Proinde poteſt eſſe falſum ſicut poteſt eſſe verum. At ſi falſum eſt; ergo poterit error univerſaliter & abſque ullâ reclamatione in Eccleſiâ prædicari, tanquam veritas quæ ad revelationem ſpectat. Non ſolum illud ſupponit Denuntiator, ſed etiam ſatis apertè dicit quoties de Summi Pontificis primatu agit. Proinde Eccleſiæ diſperſæ, cum ea docet quæ in Conciliis œcumenicis minimè definita ſunt, infallibilitatem prorſus evertit.

Præterea, quo pacto Eccleſia congregata definire poſſet hanc vel illam doctrinam, univerſaliter in Eccleſiâ edoctam, in credito ſibi Catholicorum dogmatum depoſito contineri, ſi antè definitionem talis doctrina incerta maneret ac dubia. Tunc certè, cùm non poſſet, juxta Denuntiatoris ſiſtema, definitionem ſuam inſtituere tum ſacrarum Scripturarum atque apoſtolicarum traditionum doctrinâ quæ non priùs fuiſſet in Concilio generali definita, tum actuali omnium Eccleſiarum conſenſu, non ei ſufficeret promiſſum Spiritus Sancti adjutorium, ut veram doctrinam ſacris in fontibus contentam diſcerneret, imo opus eſſet ei novâ revelatione circa dogma quod definiendum vellet. Sic hallucinantur, ſic deerrant omnes qui ſanctas ac immutabiles deſerunt traditionis regulas. Fabricantes ſibi anteà inaudita & Patribus noſtris incognita principia, ex quibus falſas eruunt opiniones, ex alio in alium errorem ſe dant præcipites.

Denique, unde novit Denuntiator Eccleſiam diſperſam nunquam judicare, nunquam pronuntiare, nunquam definire quæſtiones quæ ad

fidem & mores ſpectant ? Quem ex ſanctis Patribus auctorem habet ? Quem Scriptorem Eccleſiaſticum ſequitur ? Docet S. Auguſtinus complures fuiſſe hæreſes, quæ in totâ Eccleſiâ damnatæ ſunt non convocato Concilio generali. Imo, juxta ſanctum Doctorem, *rarum* eſt incidere cauſas, pro quibus dirimendis neceſſe ſit univerſi orbis congregari Paſtores (1). Prorſus rem ita eſſe ſibi facilè perſuadebit qui non ſolum trium priorum ſæculorum, ubi haud facilè Concilia generalia indici poterant, ſed etiam omnium poſteriorum ætatum hiſtorica monumenta pervolvet. In hoc deceptus eſt Denuntiator, quod falsò exiſtimavit, cùm ſit generale Concilium Supremum totius Eccleſiæ Tribunal, nihil unquam eam ſtatuere, nihil pronuntiare, niſi cùm in unum eſt congregata. Sed poteſtne eum latere, Synodum generalem non eſſe Tribunal ordinarium, omnes plerumque Epiſcopos nonniſi urgente neceſſitate convocari ; non eſſe huic neceſſitati locum niſi cùm Paſtores inter ſe diſcrepant, aut cùm non facilè manifeſtari poteſt communis illorum conſenſus ; denique, cùm habitâ quarumdam circumſtantiarum ratione, res poſtulat ut congregentur ? In Eccleſiâ ſuboritur error. Primùm à Sede Apoſtolicâ damnatur, vel in Concilio particulari in eâ regione habito ubi natus eſt error. Cœteræ omnes aſſentiuntur Eccleſiæ. Tunc verè dici poteſt Eccleſiam univerſalem, quamvis diſperſam, auctoritate non minus infallibili quàm cùm in unum congregatur, pronuntiaſſe.

Non deſunt exempla, imò verò permulta referri poſſunt, quæ probant in hunc modum ab Eccleſiâ etiam diſperſâ, latas fuiſſe dogmaticas definitiones. Unum proferre ſufficiat, damnationem ſcilicet hæreſis Pelagianæ. Summi Pontifices contra hanc hæreſim jam anteà in Africâ & in Oriente damnatam pronuntiant ; huic judicio cœteræ ſubſcribunt Eccleſiæ. Jactant querelas Pelagiani ; judicium aiunt eſſe tantùm proviſorium quod reformari poteſt ; indici poſtulant generale Concilium. Quid ad hæc S. Auguſtinus, qui verè dici poteſt totius hujus negotii caput & mens ? Si in eâ, in quâ Denuntiator, fuiſſet opinione, nullum, Eccleſiâ non congregatâ, latum fuiſſe judicium confeſſus fuiſſet. È contrario contendit hac in cauſa non fuiſſe neceſſariam Concilii œcumenici convocationem. Et ratio eſt, ex Sancto Doctore, quod per una-

(1) S. Auguſt. l. 4. ad Bonif. c. 12.

Digitized by Google

nimem Paſtorum, etiam diſperſorum, conſenſionem irrevocabiliter prolatum fuerat judicium : ac proinde *cauſa finita* (1).

Item Semipelagianorum errores. Quamvis invictis S. Auguſtini ſcriptis protriti, adhuc in Galliis ſpirabant. An ideo contra eos indici neceſſe fuit generale Concilium ? Id ne ullus quidem cogitavit ? Complures Epiſcopi Arauſicæ ad Templi conſecrationem congregati, doctrinæ capita adverſus eorum hæreſim ſtatuerunt. Hujus Concilii Decretis, ab Apoſtolicâ Sede confirmatis, omnes aliæ Eccleſiæ adhæſerunt. Proinde eandem hactenus auctoritatem obtinuere ac ſi ab Eccleſiâ in Concilio œcumenico congregatâ lata fuiſſent. Et revera, omnes veræ definitionis caracteres habent hæc Eccleſiæ diſperſæ judicia. Dogmaticum Summi Pontificis ſive Concilii particularis Decretum liberè omnes Eccleſiarum Paſtores recipiunt, ubi in his Scripturarum ac Traditionis doctrinam ſuis in Eccleſiis fideliter conſervatam agnoverint. Non ſolum circa Decreti verba, ſed etiam circa ſenſum quem verba continent, ipſi inter ſe unanimiter congruunt. Quid requiritur amplius ut tale Decretum habeatur tamquam Eccleſiæ definitio ? Cùm Epiſtola S. Leonis ad Flavianum exhibita fuit Patribus in Concilio Calcedonenſi congregatis, in eâ omnes Epiſcopi agnoverunt fidem Petri. Si dogmatica hæc Epiſtola (poſito quod nullum potuiſſet haberi Concilium) fuiſſet ad omnes Epiſcopos diſperſos privatim miſſa, eamque cum illa perfectâ concordiâ quam S. Leo appellat *univerſæ fraternitatis irretractabilem aſſenſum* (2) recepiſſent, quodnam diſcrimen apparuiſſet niſi in forma judicandi ? Concilii quidem definitio ſplendidiùs ac ſolemniùs lata fuit ; verum quis dubitet futurum fuiſſe ut judicium Paſtorum, etiam diſperſorum, habuiſſet quidquid Eccleſiæ definitioni proprium eſt ac eſſentiale ? Unde doctiſſimus Boſſuetus ait : *Etiamſi nullum haberetur Concilium .... conſenſus Eccleſiæ, etiam non congregatæ, certiſſima eſſet regula. Inficiari nemo poteſt, ſufficienter, nullo indicto Concilio generali, damnatos fuiſſe Novatianum, Paulum Samoſatenſem, Manichæos, Pelagianos, innumeraſque alias Sectas. Ergo*, addit Laudatus Epiſcopus, *ſimili modo damnari poterit omnis hæreticus, quicunque ſit, & in illa condemnatione erit Eccleſia infallibilis, quando-*

(1) S. Aug. ibid.
(2) S. Leo Epiſt. 93. nov. edit. ad Theodor. Epiſc. Cyri.

quidem unanimis ejus conſenſus credendorum erit regula (1).

Et ne quis exiſtimet hâc noſtrâ Sententiâ generalium Conciliorum auctoritatem elevari, abſit ut velimus vel minimo quidem digito confugium intercludere ad Tribunal tam antiquum, tam utile, tamque in quibuſdam cauſis Eccleſiæ neceſſarium. Sed ne prætereamus limites à Patribus noſtris hac in re poſitos, diſtinguimus cum S. Auguſtino *obſcuriſſimas quæſtiones* (2) quæ opportunè dirimi non poſſunt, niſi per conſenſum Eccleſiæ in Concilium congregatæ, ab erroribus palam communi doctrinæ adverſantibus quos vocat *apertam perniciem* (3). Juxta ſapientiſſimum Doctorem convocanda ſunt Concilia generalia, cùm reſolvendæ ſunt primi generis quæſtiones. Sin minus perlongum eſſet quænam ſit vera doctrina diſcernere. Contra verò ubi ſermonem ſimul conferunt convocati Paſtores, ultrò citròque dàtis & acceptis conſiliis, faciliùs poſſunt obſcura illuſtrare, Patrum teſtimonia ſcrutari, traditionis volvere monumenta, doctrinam quam ſua cujuſque tenet Eccleſia comparare; ita cunctis ſine acerbitate diſpoſitis, veritas priùs tenebris involuta illuſtratur. Quandoque etiam, cùm communi doctrinæ palam adverſatur error, convocatur generale Concilium, non quia cauſa abſolutè poſtulat convocari ut error damnetur & dogma definiatur, ſed ut efficaciùs & ſolemniùs coerceantur hæretici quidam qui, cum præpotentes ſint, facilè poſſunt commovere Populum & Eccleſiam perturbare : ſeu ut confirmentur animi Fidelium ne Hæreticorum vi abducantur, aut ſubdolis artibus decipiantur; ſeu denique, ut verbis D. Leonis utamur, *ne quid ultra remaneat vel in fide dubium, vel in caritate diviſum* (4). Cùm verò per opinionem à catholica fide apertè alienam levibus tantum motibus agitatur Eccleſia, errorque à paucis defenditur qui, admotâ oculis veritatis luce, eam pertinaciter repellunt & in ſole caligant; tunc, juxta SS. Patres, nulla eſt

(1) Boſſuet » Quand il n'y auroit point de Concile . . . le conſentement de l'E-
» gliſe, même ſans être aſſemblée, ſerviroit de regle certaine. On ne peut nier que
» ſans que toute l'Egliſe fût aſſemblée, elle n'ait ſuffiſamment condamné Novatien,
» Paul de Samoſate, les Manichéens, les Pélagiens, & une infinité d'autres Sectes.
» Ainſi quelque Secte qui s'éleve, on la pourra toujours condamner comme on a fait
» celles-là. . . . Et l'Egliſe ſera infaillible dans cette condamnation, puiſque ſon con-
» ſentement ſervira de regle.

(2) S. Auguſt. l. 2. de Baptiſm. c. 4. n. 5.

(3) S. Aug. l. 4. ad Boniſ. c. 12.

(4) S. Leo Epiſt. ad Theod. Aug. tom. 4. Concil. p. 42.

neceſſitas generale Concilium convocari, ſufficit unanimis Paſtorum etiam diſperſorum conſenſus ut fugiendus error damnetur, & veritas credenda ſtabiliatur, eadem auctoritate, ac ſi in Concilio œcumenico facta fuiſſet definitio.

Itaque ſubſequentes Propoſitiones, excerptas ex Libro cui titulus: *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. ſanctæ Synodi judicio ſubjicimus.

I.

Quand tous les Peres enſemble (ou beaucoup de Peres, un grand nombre de Peres) ſoutiendroient que S. Pierre eſt premier de droit divin, quoique ce fût une autorité reſpectable, il n'en faudroit cependant pas conclure que toutes ces autorités réunies formeroient un article de foi, c'eſt-à-dire, une déciſion dogmatique émanée du Tribunal de l'Egliſe univerſelle, à laquelle il faudroit adhérer ſous peine de damnation éternelle. Car l'Egliſe ne prononce que quand elle eſt aſſemblée, & cela après avoir conſulté non-ſeulement le ſentiment unanime des Peres, mais encore après avoir examiné ſur-tout, dit le cinquiéme Concile général, ſi ce ſentiment eſt conforme à l'Ecriture & aux déciſions des précédens Conciles écuméniques. Or l'Egliſe aſſemblée n'a jamais rien fait de ſemblable en faveur de la primauté & de la ſupériorité de S. Pierre & de ſes Succeſſeurs. On ne peut donc pas donner comme un article de foi, dont il ne ſoit pas permis de douter, le ſentiment qui déclare que S. Pierre & ſes Succeſſeurs ſont de droit divin, & même de droit eccléſiaſtique, premiers & Supérieurs aux autres Evêques. Pag. 82. 83.

I.

Etiamſi omnes ſimul Patres (aut multi Patres, ingens numerus Patrum) tenerent S. Petro jure divino conceſſum fuiſſe primatum, quantacumque illis debita ſit reverentia, non inde ſequeretur ex his auctoritatibus ſimul conjunctis, articulum fidei, id eſt, definitionem dogmaticam univerſalis Eccleſiæ poſſe conſtitui, cui ſub damnationis æternæ pœnâ adhærendum eſſet. Nam Eccleſia non pronuntiat ac ſtatuit niſi congregata, penſato priùs non ſolum an Patres unanimiter ſentiant, ſed etiam, ut ait Concilium generale quintum, an eorum ſententia conſentanea ſit cum Scriptura ſacra, præcedentiumque Conciliorum generalium ſtatutis. Atqui Eccleſia congregata nihil unquam ſtatuit de primatu ac ſuperioritate S. Petri, ejuſque Succeſſorum. Ergo non danda eſt tanquam articulus fidei, de quo dubitare non liceat, ſententia quæ declarat S. Petrum, ejuſque Succeſſores, jure divino, ac etiam jure eccleſiaſtico, habere primatum, aliiſque Epiſcopis Superiores eſſe.

II.

Je dis plus. Quand même un ſentiment ſeroit ſuivi généralement

II.

Plus dico. Etiamſi ab omnibus in Eccleſiâ diſperſâ generatim quædam

dans toute l'Egliſe diſperſée, ſans aucune réclamation pendant beaucoup de ſiecles, il ne s'enſuivroit pas que ce ſentiment fût une déciſion de l'Egliſe univerſelle; parce que l'Egliſe diſperſée ne fait pas de déciſions dogmatiques; mais elle fait exécuter celles qu'elle a faites étant aſſemblée. Car elle n'en fait que quand elle eſt aſſemblée dans un Concile général. P. 83.

teneretur ſententia, nullo per multa ſæcula reclamante. Non ideo dici poſſet hanc ſententiam definitam eſſe ab Eccleſiâ univerſali. Eccleſia enim, cùm diſperſa eſt, nullam facit definitionem dogmaticam. Exequendum curat tantùm quod ipſamet ſtatuit congregata. Nihil enim ſtatuit, niſi in Concilio generali.

DECRETUM IV.

Declarat ſancta Synodus:

I.

Circa auctoritatem SS. Patrum: *credendum eſſe quidquid vel omnes ſancti Doctores* (in Eccleſiâ probati) (1), *vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum Concilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato certo ratoque habendum eſſe* (2).

I I.

Eccleſiam Catholicam eſſe infallibilem in omnibus quæ Corpus Paſtorum proponunt credenda circà fidem & mores, ſive per modum inſtructionis ac documenti, ſive per modum judicii ac definitionis.

I I I.

Non minus infallibilem eſſe Eccleſiam in omnibus quæ Corpus Paſtorum, cùm ſunt diſperſi, credenda proponunt

(1) His elocutionibus vulgò utuntur Concilia generalia, cùm SS. Patrum auctoritatem commendant.
(2) Vincentius Lirin. Commonit, c. 39.

Digitized by Google

circa fidem & mores, quàm in his quæ credenda proponunt cùm in Concilio generali congregantur.

Et ideo damnat ſancta Synodus ſequentes Propoſitiones, quæ ſibi denuntiatæ ſunt, nempè :

I.

Quand tous les Peres enſemble (ou beaucoup de Peres, un grand nombre de Peres) ſoutiendroient que S. Pierre eſt premier de droit divin, quoique ce fût une autorité reſpectable, il n'en faudroit cependant pas conclure que toutes ces autorités réunies formeroient un article de foi, c'eſt-à-dire, une déciſion dogmatique émanée du Tribunal de l'Egliſe univerſelle, à laquelle il fallût adhérer ſous peine de damnation éternelle. Car l'Egliſe ne prononce que quand elle eſt aſſembléo : & cela après avoir conſulté non-ſeulement le ſentiment unanime des Peres, mais encore après avoir examiné ſur-tout, dit le cinquiéme Concile général, ſi ce ſentiment eſt conforme à l'Ecriture & aux déciſions des précédens Conciles œcuméniques. Or l'Egliſe aſſemblée n'a jamais rien fait de ſemblable en faveur de la primauté & de la ſupériorité de S. Pierre & de ſes Succeſſeurs. On ne peut donc pas donner comme un article de foi, dont il ne ſoit pas permis de douter, le ſentiment qui déclare que S. Pierre & ſes Succeſſeurs ſont de droit divin, & même de droit eccléſiaſtique, premiers & Supérieurs aux autres Evêques.

I.

Etiamſi omnes ſimul Patres (aut multi Patres, ingens numerus Patrum) tenerent S. Petro, jure divino, conceſſum fuiſſe primatum, quantumcumque debita ſit illis reverentia, non inde ſequeretur, ex his auctoritatibus ſimul conjunctis, articulum fidei, id eſt, definitionem dogmaticam univerſalis Eccleſiæ poſſe conſtitui cui ſub damnationis æternæ pœnâ adhærendum eſſet. Nam Eccleſia non pronuntiat ac ſtatuit, niſi congregata, penſato prius non ſolum an Patres unanimiter ſentiant, ſed etiam, ut ait Concilium generale quintum, an eorum ſententia conſentanea ſit cum Scripturâ ſacrâ, præcedentiumque Conciliorum generalium ſtatutis. Atqui Eccleſia congregata nihil unquam ſtatuit de primatu ac ſuperioritate Sancti Petri, ejuſque Succeſſorum. Ergo non danda eſt tanquam articulus fidei, de quo dubitari non liceat, ſententia quæ declarat S. Petrum, ejuſque Succeſſores, jure divino, ac etiam jure eccleſiaſtico, habere primatum, aliiſque Epiſcopis ſuperiores eſſe.

II.

Je dis plus. Quand même un ſentiment ſeroit ſuivi généralement dans toute l'Egliſe diſperſée, ſans aucune réclamation, pendant beaucoup de ſiecles, il ne s'enſuivroit

II.

Plus dico. Etiamſi ab omnibus in Eccleſiâ diſperſâ, generatim quædam teneretur ſententia, nullo per multa ſæcula reclamante, non ideo dici poſſet hanc ſententiam definitam eſſe ab

pas

pas que ce ſentiment fût une déciſion de l'Egliſe univerſelle, parce que l'Egliſe diſperſée ne fait pas de déciſions dogmatiques, mais elle fait exécuter celles qu'elle a faites étant aſſemblée : car elle n'en fait que quand elle eſt aſſemblée dans un Concile général.

Eccleſia univerſali. Eccleſia enim cùm diſperſa eſt, nullam facit definitionem dogmaticam. Exequendum curat tantùm quod ipſamet ſtatuit congregata. Nihil enim ſtatuit, niſi in Concilio generali.

Has propoſitiones damnat ſacer Conventus, tanquam temerarias, falſas, in ſanctos Patres injurioſas, erroneas; ac etiam hæreticas, ſi hoc ſenſu intelligantur, quòd Eccleſia non ſit infallibilis in Paſtorum ſuorum unanimi documento, ſed tantùm in ſuis dogmaticis definitionibus; aut quòd nihil proponat infallibili auctoritate quàm quod in Conciliis œcumenicis fuit definitum; denique quòd illam infallibilem auctoritatem non obtineat, cùm diſperſa eſt, ad judicia dogmatica ac immutabilia ferenda circa fidem & mores.

RELATIO V.

De Profeſſione Fidei Pii Papæ IV.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit :

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

DENUNTIATOR, conſequenter ad falſa ſua principia de Romani Pontificis auctoritate, ac de Eccleſiâ, aggreditur profeſſionem fidei Pii Papæ IV. Aſſerit ſingulari impudentiâ illam *impietatibus plenam eſſe* (1); & ſimul contendit non potuiſſe Pium IV hanc fidei profeſſionem Eccleſiæ proponere, quin *Eccleſiæ ſtatuta violaret* (2).

Verùm quænam ſunt illæ profeſſionis fidei Pii IV prætenſæ *impietates?* Quidquid argumenti loco in medium profert Denuntiator in ſuo

(1) Précis, p. 180.
(2) Ibid. p. 180. 182.

Scripto cui titulus : *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. ad duo capita reducit. Primum eſt, quod exigit Papa *non ſolum ut credantur dogmata in hac fidei profeſſione contenta, ſed etiam ut credantur perfectè abſque ullâ dubitatione & hæſitatione* (1). Secundum eſt, quod per hæc verba profeſſionis fidei Pii IV : *ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu-Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo & juro*, effecit Papa ut ab orbe toto Chriſtiano ſibi præſtetur fidelitatis juramentum (2). Hæ ſunt impietates quas in hac fidei profeſſione Denuntiator advertit.

Sed, 1°. audirine poteſt abſque ſtupore Scriptor, qui ſe catholicum profitetur, cum queritur quod ab his qui fidei profeſſioni adhærent, exigatur ut perfectè & abſque hæſitatione credant dogmata quæ in eâ continentur? Quàm extraordinaria eſſet fidei profeſſio de cujus doctrinâ dubitari fas eſſet !

Fruſtrà probabitur profeſſionem fidei Pii IV nihil continere præter doctrinam à Concilio Tridentino definitam, unanimiter ab Eccleſiâ receptam & prædicatam ; Denuntiator nullo argumento à ſuâ ſententiâ dimovebitur. Etenim, ex unâ parte, Concilii Tridentini œcumenicitatem apertè rejicit ; quòd, ut ait, in eo ſuam dominationem Romani Pontifices cum imperio exercuerint, quòdque Græci, qui magnam Eccleſiæ partem conſtituunt, Concilio non adfuerint : & ex alterâ docet, quod tota in hac re Eccleſiæ diſperſæ auctoritas in eo eſt, ut exequendum curet quod in Conciliis generalibus definitum eſt. Sic omnia quibus petitur tela declinare ſibi videtur Denuntiator : non attendens ſe per ſua falſa principia ex errore in novos errores ire præcipitem.

2°. Aliud impietatis genus quod in profeſſione fidei Pii IV videre exiſtimat, illud eſt quod in eâ dicitur *Romanam Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram*, quodque in eâ promitti oportet, ſub religionis juramento, *Summo Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu-Chriſti Vicario veram obedientiam :* » Quod eſt, inquit, » Pontificis Romani artificium, ut ſibi ab orbe toto præſtetur fidei ſa» cramentum «. Perfacile eſt, talibus commentariis, omnibus aut dictis aut ſcriptis virus aſpergere. De hac re audiamus illuſtriſſimum Epiſco-

(1) Ibid. p. 10.
(2) Ibid. p. 10.

pum Meldenſem, qui cum omnibus Catholicis nihil videt in his verbis niſi rationabile obſequium ſacris Canonibus omninò conforme, atque in omnibus ſæculis Summis Pontificibus præſtitum. Ipſa verba doctiſſimi Præſulis ſapientiæ & judicii plena, potentiora erunt & efficaciora quàm conſiderationes noſtræ ad disjicienda nubila quibus gravem hanc quæſtionem obſcurare nititur Denuntiator.

» Quod in fidei (Pii IV) profeſſione eſt ſcriptum, inquit Boſſuetus, » nempè *Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram* eſſe, quidam ipſam univerſalem Eccleſiam intelligunt, quæ proinde propriè ac ſtrictè; ut aiunt, » *catholica* ſit; quæ verè *apoſtolica*, quod apoſtolicâ ſucceſſione gaudeat; » quæ *omnium Eccleſiarum* particularium, uti omnium Fidelium, *magiſtra* » *& mater* meritò appelletur; quæ & Romana ſit, vel maximè quod » Sedem Romanam, ac Petri Cathedram, principem fidei & caput » Communionis agnoſcat. Alii Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine deſignatam volunt Sedem ipſam Romanam à Petro & » Paulo fundatam, vereque Apoſtolicam, Catholicam quoque, eo ſenſu » quod *ab eâ in omnes venerandæ Communionis jura dimanent* (1): » omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram, quæ nos lacte alat doctrinæ ſalutaris, eamque tradat, quâ vivamus omnes, Romanam fidem. » Quis hæc non fateatur? Quis pro his non fundat ſanguinem? Et » utrumque ſenſum, ut ſummâ & ſententiâ unum, ſuâ Declaratione » (anni 1682) complexi Patres Gallicani, *Sedis Apoſtolicæ in quâ fides* » *prædicatur & unitas ſervatur Eccleſiæ, venerandam omnibus gentibus* » *majeſtatem* colunt; *& in fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi* » *Pontificis eſſe partes, ejuſque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere* profitentur. »

Deinde Præſul doctiſſimus tranſit ad obedientiæ caput quæ in profeſſione fidei Pii IV promittitur Summo Pontifici. Primùmque refert tres doctrinæ articulos quos ſtatuit Theologiæ Facultas Pariſienſis anno 1552, ſcilicet.

» 1°. Tenetur quilibet Chriſtianus firmiter credere unam eſſe univerſalem Eccleſiam in terris viſibilem, quæ in fide & moribus errare non poteſt, cui omnes Fideles, in iis quæ ſunt fidei & morum, » obedire aſtringuntur.

(1) Epiſt. Concil. Aquileienſ. anno 381.

Digitized by Google

2°. Certum eſt, Concilium generale legitimè congregatum, univer-
» ſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus
» errare non poſſe.

» 3°. Nec minus certum eſt, unum eſſe jure divino Romanum in Ec-
» cleſiâ Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere te-
» nentur «.

Quibus poſitis, illuſtriſſimus Boſſuetus ſequentes addit conſideratio-
nes. » Hæc fidei teſſera ab Epiſcopis & Eccleſiis Gallicanis tradita,
» regiâ quoque auctoritate atque omnium Ordinum conſenſu excepta,
» divulgata & cuſtodita eſt. Vides quàm diverſis verbis de Eccleſiis ac
» Synodis œcumenicis, deque Summo Pontifice egerint. *Eccleſiam &
» Synodos errare non poſſe* dicunt : at *Summo Pontifici jure divino ab om-
» nibus Chriſtianis eſſe parendum.* Hæc ſine conſilio ita diſtincta ſcilicet ?
» Neutiquam. Non condebant, ſed tradebant fidem; quæ cuique com-
» peterent, non ex privatis opinionibus, ſed ex communi omnium
» ſenſu tribuebant. Sic factum, ut iiſdem quoque verbis Romanus
» Pontifex Pius IV Sedis ſuæ auctoritatem aſtrueret, & quidem cæ-
» tera omitteret, nihil verò aliud jure divino quàm *veram obedientiam*
» poſtularet «.

Pergit doctiſſimus Meldenſis Epiſcopus. » At illa obedientia, in-
» quis, omnimodam ſuperioritatem atque ipſam adeo infallibilitatem
» infert. Iterum atque iterum admoneo, ad communem fidem addis
» tua : ad ea quæ conſequi putas, longâ nos & dubiâ, imo etiam
» falſâ argumentatione deducis; atque id ex tuis quoque rationibus
» efficiam clarè. An enim contendes obediendum nemini, qui non ſit
» infallibilis; non Epiſcopo, non Synodo Provinciali, non Nationali,
» non Legato Apoſtolico, non denique ipſi Pontifici, ni de fidè *ex
» Cathedrâ* decernenti ? Abſurdum. Nullumne ergo diſcrimen inter Pa-
» pam & alios ? Certè maximum, nam aliis ſuus quiſque grex; Papæ
» omnes obedire oportet, & id ſignanter ipſa fidei profeſſio ab om-
» nibus poſcit. Quid ſi quis jam dixerit, eo quod Romano Pontifici
» jure divino ab omnibus obedientia vera deberi fide catholicâ cre-
» datur, quidquid ille ſcripſerit, edixerit, juſſerit, quocunque in ne-
» gotio, in jure, in facto, in Republicâ nihil niſi obediendum eſſe;
» neque unquam obrepi poſſe, aut mala ſuaderi, occupatiſſimo licet,
» ſed ſtandum ubique jubentis voluntati, in eoque veram repoſitam

» eſſe pietatem ? inſaniat, inquis. Certè. Ergo illi obedientiæ tam » juſtæ, tam neceſſariæ ſua quoque adhibenda cautio eſt. Quænam » illa ſit ? quouſque pateat ? Quid Concilia, quid Canones, quid ipſi » Romani Pontifices, quid denique Scriptura & Scripturæ interpres » traditio poſcat ? Quoniam ambigua res eſt, pacificè & amicè quæ- » rere, non ſtatim omnia clamoribus miſcere nos deceat. Atque in- » terim certum eſt, à Pio IV Pontifice confeſſionem fidei requirente ea » ſelecta eſſe verba quæ quæſtiones omnes in Scholis quidem Catho- » licis utrinque diſputatas relinquant integras; quæ autem ad fidem » ſpectent, apertè & ſine ullâ tergiverſatione decidant «.

Altera Denuntiatoris criminatio contra profeſſionem fidei Pii IV adeo inſulſa eſt, ut ſolâ rei expoſitione, omnibus falsò contexta videatur. Contendit hunc Pontificem, ſuam proponendo fidei profeſſionem, ſeipſum feciſſe reum evidentis Eccleſiæ decretorum infractionis. Et hoc paradoxum probare nititur his verbis ex ſexto generali Concilio depromptis : *Definimus aliam fidem* (1) *nulli licere proferre aut conſcribere, componereve, aut ſapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præſumpſerint fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud ſymbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate, vel Judaiſmo, aut ex qualibet hæreſi ..... Si Epiſcopi fuerint aut Clerici, alienos eſſe, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos verò à Clero : ſin autem Monachi fuerint vel Laici, etiam anathematizari eos* (2). Profectò intelligitis quàm fallaciter interpretetur Denuntiator hæc ſexti Concilii œcumenici verba. Sacroſancta Synodus prohibet doceri fidem aliam, id eſt, contrariam fidei à Nicæno & Conſtantinopolitano Conciliis definitæ, aut aliud componere fidei ſymbolum quàm illud quod ab his Conciliis eſt compoſitum. Quod veriſſimum eſt. His tamen ſexti Concilii verbis Denuntiator abutitur, quaſi dicerent Patres nefas eſſe, Summis etiam Pontificibus & Conciliis, ullam componere fidei profeſſionem ad ſtabilienda dogmata quæ in poſterum à Novatoribus impugnarentur; quod adeo evidenter falſum eſt, & conſtanti Eccleſiæ praxi ita oppoſitum, ut his diutiùs immorari omninò ſupervacaneum ſit.

Ut autem temeritas Denuntiatoris magis ac magis demonſtretur ;

(1) Loquitur ſexta Synodus de Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano.
(2) Concil. 6um. œcumenic. action. 18. tom. 6. Concil. Labb. p. 1028.

Digitized by Google

hîc referre juvat verba duorum Conciliorum, quæ in Galliâ celebrata ſunt, circa fidei profeſſionem Pii IV.

Primum eſt Concilium Narbonenſe anni 1609, quod ut profeſſionem Pianam ſuis actibus inſerat, hanc rationem affert, ſcilicet ab hac fidei profeſſione, *juxta receptum Eccleſiæ univerſalis ritum*, initium ſumendum eſſe.

Secundum eſt Concilium Burdigalenſe anni 1624, quod de profeſſione fidei Pii Papæ IV ſic loquitur. » Ut.... ſacrorum Conciliorum » cum œcumenicorum, tum Provincialis Burdigalenſis ultimi decretis » inhærentes, *pretioſum hoc fidei fundamentum* adverſus quæcumque » inimici tela ignita, undequaque & quomodocumque contorta, *ſcu-* » *tum inexpugnabile*, opponamus profeſſionem fidei orthodoxæ, ex » præſcripto Patrum ſacroſancti œcumenici Concilii Tridentini, & » Pii IV Pont. Max. Conſtitutione conceptam & contextam, à nobis » & Reverendiſſimis Coepiſcopis, cæteriſque Concilii Delegatis, pa- » lam & publicè emiſſam, *& ab omnibus Catholicis emittendam*, præ- » ſertim iis quos tum cura regiminis eccleſiaſtici, tum publicè do- » cendi munus pertingit, conceptis verbis emittendam eſſe decer- » nimus «.

Itaque judicio Synodi ſubſequentes propoſitiones, è Libro cui titulus: *Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. excerptas, ſubmittimus.

I.	I.
La profeſſion de foi de Pie IV, & les autres dont je me plains, ſont d'autant plus criminelles, qu'elles ſont non-ſeulement remplies d'impiétés; mais qu'elles ſont encore une infraction palpable des Ordonnances ſolemnelles de l'Egliſe. P. 179.	*Fidei profeſſio Pii IV, & aliæ quas reprehendo, eò magis ſunt flagitioſæ, quò non ſolum pluribus impietatibus plenæ ſunt, ſed etiam quo evidentiores ſunt infractiones ſolemnium Eccleſiæ Decretorum.*
II.	II.
La profeſſion de foi de Pie IV eſt faite au mépris des Réglemens des Conciles les plus ſacrés; & outre cela elle renferme des iniquités palpables. P. 181.	*Fidei profeſſio Pii IV facta eſt in contemptum Decretorum ſacratiſſimorum Conciliorum; & præterea includit iniquitates evidentes.*
III.	III.
Je dénonce nommément la Bulle	*Nominatim denuntio Bullam In-*

Injunctum nobis, du 9 Décembre 1564, par laquelle Pie IV ordonne à tous les Paſteurs d'exiger d'une multitude de perſonnes de tout état & de toute condition, mais ſurtout de tous ceux qui aſpirent aux grandes dignités qui ſont dans l'Egliſe, la *Profeſſion de ſoi* qu'il a faite, & qu'il a inſérée dans cette Bulle, & de leur faire jurer par le ſerment le plus terrible, non-ſeulement qu'ils croyent les dogmes, la doctrine, &c. de l'Egliſe Catholique ; mais encore qu'ils les croyent parfaitement, ſans aucun doute, ſans aucune anxieté, ſans aucune peine, ſans aucun embarras. P. 10.

junctum nobis, 9 *Decembris anni 1564, quâ Pius IV præcipit omnibus Paſtoribus, ut exigant à multitudine perſonarum omnium ordinum & conditionum, ſed præſertim ab omnibus aſpirantibus ad magnas dignitates quæ ſunt in Eccleſiâ*, Profeſſionem fidei *quam fecit, & inſeruit in hac Bullâ, & ut jurent terribiliori ſacramento, non ſolum ſe credere dogmata, doctrinam, &c. Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam credere illa perfectè, abſque ullâ dubitatione, anxietate* & *hæſitatione.*

IV.

Il y a plus. C'eſt que ce Pontiſe, plus fin & plus ruſé en ceci que ſes Prédéceſſeurs, a trouvé le ſecret & le moyen, ſous prétexte d'une Profeſſion de ſoi, de ſe faire prêter par tout l'univers, ſans aucune réclamation, le ſerment de fidélité. P. 10.

IV.

Plus eſt. Hic Pontifex, aſtutior & callidior quam ſui Prædeceſſores, invenit artem & modum efficiendi, ut, ſub fidei profeſſionis prætextu, à toto orbe, abſque ullâ reclamatione, præſtetur illi fidelitatis ſacramentum.

DECRETUM V.

Renovat ſancta Synodus adhæſionem ſuam Profeſſioni Fidei Pii Papæ IV, in ſecundo Paragrapho tertii Decreti primæ partis factam.

Et ideo damnat propoſitiones quæ ſibi denuntiatæ ſunt, nempè :

I.

La profeſſion de foi de Pie IV, & les autres dont je me plains, ſont d'autant plus criminelles, qu'elles ſont non-ſeulement remplies d'impiétés ; mais qu'elles ſont encore une infraction palpable des Ordonnances ſolemnelles de l'Egliſe.

I.

Fidei profeſſio Pii IV, & aliæ quas reprehendo, eò magis ſunt flagitioſæ, quò non ſolum pluribus impietatibus plenæ ſunt, ſed etiam quò evidentiores ſunt infractiones ſolemnium Eccleſiæ Decretorum.

Digitized by Google

II.

La profeſſion de foi de Pie IV eſt faite au mépris des Réglemens des Conciles les plus ſacrés ; & outre cela, elle renferme des iniquités palpables.

II.

Fidei profeſſio Pii IV facta eſt in contemptum Decretorum ſacratiſſimorum Conciliorum ; & præterea includit iniquitates evidentes.

III.

Je dénonce nommément la Bulle *Injunctum nobis*, du 9 Décembre 1564, par laquelle Pie IV ordonne à tous les Paſteurs d'exiger d'une multitude de perſonnes de tout état & de toute condition, mais ſurtout de ceux qui aſpirent aux grandes dignités qui ſont dans l'Egliſe, la *Profeſſion de Foi* qu'il a faite, & qu'il a inſérée dans cette Bulle, & de leur faire jurer, par le ſerment le plus terrible, non-ſeulement qu'ils croyent les dogmes, la doctrine, &c. de l'Egliſe Catholique, mais encore qu'ils les croyent parfaitement, ſans aucun doute, ſans aucune anxieté, ſans aucune peine, ſans aucun embarras.

III.

Nominatim denuntio Bullam Injunctum nobis, *9 Decembris anni 1564, quâ Pius IV præcipit omnibus Paſtoribus, ut exigant à multitudine perſonarum omnium ordinum & conditionum, ſed præſertim ab omnibus aſpirantibus ad magnas dignitates quæ ſunt in Eccleſiâ*, Profeſſionem fidei *quam fecit & inſeruit in hac Bullâ ; & ut jurent terribiliori ſacramento, non ſolum ſe credere dogmata, doctrinam, &c. Eccleſiæ Catholicæ, ſed etiam credere illa perfectè, abſque ullâ dubitatione, anxietate & hæſitatione.*

IV.

Il y a plus. C'eſt que ce Pontife, plus fin & plus ruſé en ceci que ſes Prédéceſſeurs, a trouvé le ſecret & le moyen, ſous prétexte d'une profeſſion de foi, de ſe faire prêter par tout l'univers, ſans aucune réclamation, le ſerment de fidélité.

IV.

Plus eſt. Hic Pontifex, aſtutior & callidior quàm ſui Prædeceſſores, invenit artem & modum efficiendi, ut, ſub fidei profeſſionis prætextu, à toto orbe, abſque ullâ reclamatione, præſtetur illi fidelitatis ſacramentum.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, tanquam falſas, ſcandaloſas, errori faventes, calumnioſas, in Summos Pontifices & in ipſam Eccleſiam injurioſas.

Digitized by Google

RELATIO VI.

De Epiſcoporum ſuperioritate.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

POSTQUAM, adverſante Traditionis auctoritate, aſſeruit Denuntiator, *nullam Epiſcopo Romano ſuprà cæteros Præſules jurisdictionem tribuendam eſſe, nullam jure divino aut eccleſiaſtico ſuperioritatem, ſed omnem quo fruitur ſimplicis honoris primatum, ex humano jure deſcendere* (1); Epiſcopos deinde dignitate dejicit. Etenim contendit *Epiſcopatum inſtitutionis divinæ non eſſe; Chriſtum, dum Sacerdotium inſtitueret, nullum inter eos quibus dignitatis illius amplitudinem daret, diſcrimen poſuiſſe, adeo ut ex eo Epiſcopi & Presbiteri omnes & ſinguli Sacerdotii plenitudinem integram, ſolidam, totam & prorſus individuam poſſideant, ac proinde nihil ſit quo ſupra Presbiteros emineant Epiſcopi, cum his illi pares ſint, ex omni reſpectu & juxta divinam illorum inſtitutionem* (2).

Inter veteres Theologos, nonnulli docuerunt Epiſcoporum conſecrationem non ordinem eſſe, nec Sacramentum ab eo diſtinctum quod Presbiteri dùm ordinantur accipiunt. Attamen ſubjungebant conſecrationem illam caracteris presbiteratûs extenſionem quandam eſſe, aut ei ſaltem cui datur, Sacramentale aliquid (quod ſit pars Sacramenti,) & auctoritatem presbiterali ſuperiorem ad Eccleſiæ regimen conferre: quod ſi eam opinionem modeſtè, nec confidenter Denuntiator propoſuiſſet, non eum dignum arbitraremur quem cenſoriâ notâ inureremus. Verum, ut temerarius eſt, & aperta fronte Eccleſiæ doctrinam contemnit, errorem Aërii renovare non pertimeſcit, qui in omnibus Epiſcopos Presbiteris exequabat, cujus hæreſis in pœnam, anathematis

(1) Précis d'un acte de dénonciation ſolemnelle, &c. p. 31. 33. 92.
(2) Ibid. p. 145. 148. 149.

fulmine percuſſum quarto ſæculo fuiſſe in Oriente pariter & Occidente (1), accepimus. Undè ipsâ luce clariùs patet, tunc temporis Epiſcoporum ſuperioritatem, non pro nudâ tantum haberi juris eccleſiaſtici diſciplinâ, ſed eſſe revera inſtar dogmatis à quo nemini liceret recedere, quin in errorem impingeret.

Quod ſi in novi Teſtamenti paginis nonnulla occurrunt ex quibus inferri poſſe videatur Epiſcopi nomen Presbiteris & Epiſcopis promiſcuè à ſacris Scriptoribus dari, non ideò tamen varios hierarchiæ ordines in Scripturis confundi, rectè eccleſiaſtici Doctores (2) obſervarunt. Imò apertè eo etiam loci videre eſt, quoſdam Eccleſiis Apoſtolorum curâ fundatis præſidentes à quibus Presbiteri ordinentur & Diaconi (3), hi *ut menſis miniſtrent* (4), &c. illi ut in ſacris functionibus obeundis, ac in regendâ Eccleſiâ auxiliatrices manus primis Paſtoribus porrigant : at inter multa jura, multa inſignia quæ his Summis Sacerdotibus tribuunt Codices Sacri, illud præſertim, ut ſint Presbiterorum judices (5), commemorant; quod ſanè inſignem præſtantiam complectitur.

Verum etiamſi dubitare Denuntiator potuiſſet, ſubordinationem hanc de quâ agitur certò in Scripturâ deſignari, quid non decuiſſet virum in Eccleſiæ catholicæ gremio educatum, traditionem adire, ejuſque in fontibus rimari, quis verus foret ſacrorum Codicum ſenſus, quam ipſe amplecti deberet in re graviſſimâ ſententiam? A primo jam Eccleſiæ ſæculo diſtinctus occurrit Epiſcoporum, Presbiterorum & Diaconorum ordo (6). Qui tunc degebant Patres, cum Apoſtolis pars magna converſati, ii omnes cujuſlibet Eccleſiæ particularis Pontificem exhibent, quaſi eminentiore dignitate & auctoritate indutum, quaſi *quid Presbitero præſtantiùs* (7). Audiamus fideles illos Traditionis Apoſtolicæ teſtes : quid jam eſt Epiſcopus? *Summus*, inquiunt, *Sacerdos* (8):

(1) S. Epiph. hær. 75. S. Auguſtinus. L. de hæres. c. 53.
(2) S, Chryſoſt. hom. 2. in Epiſt. ad Philipp. &c.
(3) Act. paſſim & Epiſt. ad Tim. & ad Tit.
(4) Tit. 1. 15. Act. 6. 2. & ſeq. 1. Tim. 3. 10.
(5) 1. Tim. 5. 19.
(6) S. Clemens Rom. Epiſt. 1. ad Cor. &c.
(7) S. Ignat. Martyr Epiſt. ad Philadelph. n. 9. Boni ſunt Secerdotes, præſtantiùs autem quid eſt Summus Pontifex.
(8) Idem ibid. &c. S. Hieron. Dial. adv. Lucifer.

Princeps Senatûs Eccleſiaſtici (1), *Præſidens* (2), *Dux*, *Dynaſtes*; *Terrenus Deus* * (3). Quid ejus dignitas? *Prima dignitas* (4), *primaria Sedes* (5), *Principatus*, *culmen & apex Sacerdotii* (6). Cum eo quidem in ſacri Miniſterii partem Presbiteri veniunt, *ſed Pontificatûs apicem non habent* (7): *ſecundi* tantùm *& inferiores* ſunt *Sacerdotes* (8), *ſecunda ipſis in Eccleſiâ conceditur Sedes* (9), *ſecundus in Eccleſiaſtico ordine gradus* (10). Undè *non univerſæ ſolùm Plebi imperat* Epiſcopus, ſed *Clero præeſt* (11): non ſolum *pro omni Eccleſia reddet rationem* (12), *quia concreditus eſt ei Populus Domini* (13); ſed *cunctis inſuper præſidet mortalibus Sacerdotibus*, *cunctis Doctoribus*, *qui omnes pariter ſubjecti ſunt* ipſi (14). Ideoque *Presbiteri & Diaconi nihil peragere debent abſque ſententia & voluntate Epiſcopi*, *cujus poteſtate omnia per eos diſpenſantur* (15), nullum *ſine Epiſcopi auctoritate* (16) munus exercere.

Ea videbatur Epiſcopi dignitas & præſtantia in proximâ Apoſtolis ætate. Nedum pro merè humanâ haberetur conſtitutione, quod Denuntiatori placêt, eam contra *à Deo Patre ordinatam* (17), *ex Chriſti ſententiâ & voluntate conſtitutam* (18), *divinâ lege fundatam* (19) fuiſſe docent expreſſis verbis ſancti Doctores.

Addunt fideliſſimi Traditionis teſtes, Epiſcoporum ſuperioritatem auctoritate quâ pollebat Aaron in Presbiteros & Levitas adumbratam

(1) Origenes l. 3. cont. Celſ. S. Hilar. l. 8. de Trin. n. 1. S. Baſil. Epiſt. 62. S. Optat. l. 1. S. Hieron. ad cap. 62. Iſaiæ.
(2) Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 26.
(3) Ibid. l. 2. c. 26. * Id eſt qui Vices Dei gerit in terris.
(4) S. Baſil. Epiſt. 62.
(5) S. Greg. Naz. orat. 20. in laud. Baſil.
(6) Idem Epiſt. 23. S. Baſil. Epiſt. 10. ad Greg. theol. S. Optat. l. 1. S. Innocent. 1. Epiſt. ad Decent. S. Greg. Magnus l. 4. in 1. Reg. c. 6.
(7) S. Innocent. 1. Epiſt. ad Decent. S. Iſidor. l. 7. etymol. c. 12.
(8) S. Innôc. ibid. S. Hieron. Epiſt. 27. ad Euſtoch. & in Ezech. c. 45.
(9) S. Greg. Naz. Carm. de vitâ ſuâ.
(10) S. Hier. in Jer. c. 13. S. Cyrillus Alex. l. 13. de adorat. in ſpir. & ver. S. Optat. l. 1. S. Leo Epiſt. 84. ad Anaſt. c. 4. S. Iſidor. l. 2. de div. off. c. 7. Bede, &c.
(11) Conſtit. Apoſt. c. 26.
(12) Orig. hom. 11. in Jer. Can. Apoſt. c. 40.
(13) Can. Apoſt. c. 40.
(14) Conſtit. Apoſtol. l. 2. c. 1.
(15) Can. Apoſt. c. 40. & 41.
(16) Tertull. de Baptiſmo, c. 17.
(17) Orig. Hom. 20. in Luc.
(18) S. Ignatius Martyr. Epiſt. ad Eph. n. 1. & 6. & ad Philadelph. initio.
(19) S. Cypr. Epiſt. 27.

fuiſſe (1): quæ quidem auctoritas profectò à divinâ lege deſcendebat. Denique teſtantur eam eſſe ſimillimam auctoritati quam Chriſtus conceſſit Apoſtolis, quibus ſuccedunt Epiſcopi, in 70 Diſcipulos qui *formam & figuram* Presbiterorum exhibebant (2). Undè certiſſimis innixus teſtimoniis apprimè tradebat, ſæculo præterito, Reverendiſſimus Rovenius, Ultrajectenſis Antiſtes, *catholicam Eccleſiam ſemper docuiſſe Epiſcopos, jure divino, Presbiteris majores eſſe, non ſolum poteſtate ordinis, ſed etiam juriſdictionis* (3).

Quicumque paulò attentiùs intuebitur quem in formandâ Eccleſiâ ordinem Deus ſecutus fuerit, huic facilè patebit ordinem illum, ſublatâ inter Paſtores ſubordinatione, ſtare nullo modo poſſe.

In Chriſti regno omnia ad unitatem vergunt & pertinent. Una mens, ejuſdem fidei profeſſione; unum cor, ejuſdem caritatis vinculo; una ad ſalutem via, eorumdem Sacramentorum Communione; unum denique miniſterium, ut in fideles populos omnia hæc commoda à Paſtorum quibus parent concentu deriventur. Jam verò niſi in privatâ quâque Eccleſiâ Paſtor quidam adeſſet præcipuus, cui cæteri ejuſdem Eccleſiæ Paſtores obſequerentur; niſi in univerſali Caput emineret viſibile, in quo velut unitatis centro ſingulæ coaleſcerent Eccleſiæ: ſanè cùm ex naturali hominum cupiditate, ad ſummam quiſque libertatem ambitioſus aſſurgat, timendum prorſùs foret, ne, diſſolutâ brevi unitate, tot in Eccleſiâ exurgerent *ſchiſmata, quot Sacerdotes* (4).

Verùm eheu! quorſum ſpectant Denuntiatoris ſententiæ? Si, ut contendit, *pares* ſint Epiſcopis Presbiteri, *ex omni reſpectu*, & *juxta divinam inſtitutionem*, ſi in ordinatione *integram, ſolidam, totam, ac prorſùs individuam Sacerdotii plenitudinem* recipiunt; quid indè? Ergò in exercendis muneribus, ab Epiſcopis nullo modo pendebunt; ergò non ſolum, contra Conciliorum diſpoſitionem, Confirmationis Sacramentum, ut Miniſtri ordinarii, conferre poterunt, imò & Presbiteros alios ordinare; quod quidèm poſtremùm ejus momenti eſt, ut mirum ſit Denuntiatorem tantâ atrocitate perculſum non horruiſſe. Ut enim ejus fidem requiramus, qui poterat ignorare quid quarto ſæculo contigerit;

(1) S. Hier. Epiſt. 85. ad Evag. &c. Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 25.
(2) S. Irenæus l. 3. c. 3. Bede, &c.
(3) Rovenius l. 1. Reipubl. Chriſtianæ de offic. Epiſcopi c. 11. n. 3.
(4) S. Hieron, Dial. adv. Lucifer.

ut in Aërium eadem ac ille nunc propugnantem, tota protinùs inſurrexerit Eccleſia; ut ejus argumenta retuderit illo veluti dogmate ab omnibusrecepto, Epiſcopos à Chriſto ſpecialiter conſtitutos fuiſſe, *ad gignendos Patres*, negatâque Presbiteris eâdem poteſtate, *ab ipſis filios duntaxat Eccleſiæ regenerationis lotione produci, nullumque eos habere jus manuum imponendarum ad creandum Presbiterum* (1).

Re quidem verâ, cùm ſacroſanctum offerunt Presbiteri Hoſtiæ ſalutaris Sacrificium, munus in Religione auguſtiſſimum exercent; ſed in hoc etiam magis ac magis elucet Epiſcoporum poteſtas & præſtantia, quòd auguſtum illud Myſterium offerre non ſolùm poſſunt, ſed & eos conſecrare qui adorandam victimam immolant. Quod diſcrimen, ut præcipuum eſt, ita ſemper Presbiteros inter & Epiſcopos ab iis etiam Patribus poſitum eſt, qui Presbiterorum ordinem fuſiori laude extulerunt (2).

Undè in Eccleſiaſticis Annalibus videre eſt factas à quibuſdam Presbiteris ordinationes, non pro illicitis tantùm habitas fuiſſe, ſed pro debilibus ac nullis; eo ſolo quod qui eas fecerant, faciendi carerent poteſtate (3).

O lugendam Denuntiatoris cœcitatem! Non modo non ſummâ quâ deberet veneratione uberem agnoſcit auctoritatum copiam, quam Traditionis monumenta offerunt, verùm è contrario huic uni incumbit ut earum lucem hebetet, ſi poſſit, oppoſitis pauciſſimorum quorumdam veterum textibus, obſcuris ſanè, & quos ex præconceptâ opinione interpretatur. Etiamſi hac in re Auctor quidam eccleſiaſticus à communis doctrinæ tramite receſſiſſet, quid ea privata auctoritas, ut indè frangi poſſit conſpirans ſacrorum Doctorum conſenſus? Nullam autem inter Patres diſſenſionis umbram admittimus; nullam & ipſe Denuntiator admiſiſſet, ſi textuum quos opponit intellectum à catholicis mutuatus eſſet Auctoribus, non à recentiorum ætatum heterodoxis. Sed omiſſâ illâ controverſiâ, ea eſt Concilii Tridentini deciſio, ut fluctuantem animum ſola ſiſtere debuiſſet. Expreſſis quippe verbis declarat ſancta Synodus, *in Eccleſiâ Catholicâ eſſe hierarchiam divinâ ordinatione inſtitu-*

(1) S. Epiph. hær. 75. n. 4.
(2) S. Hier. Epiſt. 85. ad Evagr. S. Chryſoſt. hom. 1. in Epiſt. ad Philipp. & hom. 2. in 1. Tim. &c.
(3) V. S. Athan. apol. c. 12. &c.

Digitized by Google

tam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbiteris & Miniſtris ; ac etiam anathematis fulmine percutit eos qui hoc dogma rejicientes, contendent *Epiſcopos non eſſe Presbiteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum Presbiteris communem* (1).

Nihil porrò hoc decreto clarius, quod breviori ſermonis compendio, Patrum omnium doctrinam complectitur. Verum ita craſſæ ſunt Denuntiatoris tenebræ, ut ne vividiori quidem lumine vinci poſſint. Acerrimus Græcorum propugnator, eos etſi in Eccleſiam contumaces ac ſchiſmaticos, Catholicorum tamen numero ita accenſet, ut nullum œcumenici nomine dignetur Eccleſiæ Latinæ Concilium, niſi in quo Græci adfuerint ; quo quidem deliramento vaſtum ſanè ſibi campum aperit, ut impunè ea dogmata oppugnet, quæ cum præjudicatis illius opinionibus non conſonant. Eam porrò inſaniam in ſuperioribus jam ſtatutis, quo meretur modo repreſſit ſancta Synodus. Unum itaque notandum ſupereſt, Græcos illos ſuos cum Latinis de Epiſcoporum ſuperioritate omnino conſentire ; ab ipſo proinde doctrinam repudiari, non in Eccleſiâ tantum Catholicâ, ſed apud eos ſchiſmaticos univerſè receptam (2), quos ita habet in deliciis, quorum teſtimonia requirit. Apertam profectò temeritatem, quâ ſe novatorem nullo pudore profitetur ! Dignum ideò quem cenſuræ fulminibus percutiat Eccleſia cujus decreta deſpicit vel certiſſimis monumentis conſignata.

Has igitur propoſitiones excerptas ex opere cui titulus eſt : *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. ſancto Cœtui ſubmittimus.

I.	I.
J'ai dit en pluſieurs endroits que les Evêques étoient d'inſtitution divine.... mais la vérité exige de moi que je me corrige ſur ce point. P. 145.	*Pluribus in locis Epiſcopos inſtitutionis eſſe divinæ docui ... at exigit veritas, ut in hac re memetipſum emendem.*
II.	II.
Jeſus-Chriſt en inſtituant le Sacerdoce, n'a mis ni établi aucune différence entre ceux qu'il a honorés de cette dignité ; en ſorte que	*Chriſtus Sacerdotium inſtituendo, nullum diſcrimen poſuit inter eos quos hâc dignitate auxit ; adeo ut Epiſcopi, id eſt, Patriarchæ, Pri-*

(1) Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 6. & 7.

(2) Vide teſtimonia Eccleſiæ Græcæ ſchiſmaticæ circà hanc quæſtionem relata in Opere, cui titulus præfigitur : *La perpétuité de la foi de l'Egliſe Catholique touchant l'Euchariſtie*, t. 3. l. 8.

les Evêques, c'eſt-à-dire, les Patriarches, les Primats, les Archevêques, les Evêques & les ſimples Prêtres poſſedent tous & un chacun la plénitude du Sacerdoce en entier & d'une maniere indiviſible. P. 145.

mates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac ſimplices Presbiteri, poſſideant omnes ac ſinguli, integram ac prorſùs individuam Sacerdotii plenitudinem.

III.

Ce Prêtre, ou plutôt cette multitude de Prêtres qui ſont mis à la tête du Clergé de chaque Diocèſe, abuſant de la place d'honneur à laquelle on les a élevés, s'imaginent être par leur caractere au-deſſus de leurs Confreres (les ſimples Prêtres), qui leur ſont égaux à tous égards, ſelon leur inſtitution divine. P. 148.

III.

Hic Presbiter, ſeu potiùs hæc multitudo Presbiterorum, qui Clero uniuſcujuſque Diœceſis præſunt, honore quo ſublimantur abutentes, ſuo caractere longiùs eminere putant, quàm Presbiteri ſimplices, qui tamen ipſis pares ſunt, ex omni reſpectu, juxta divinam eorum inſtitutionem.

IV.

Jeſus-Chriſt a défendu expreſſément qu'il y eût (entre les Paſteurs de ſon Egliſe) aucune ſupériorité. P. 149.

IV.

Chriſtus expreſsè prohibuit, ne ulla ſit ſuperioritas (inter ſuæ Paſtores Eccleſiæ).

DECRETUM VI.

Declarat ſancta Synodus, juxta doctrinam à ſacro-ſancto Concilio Tridentino definitam :

I.

In Eccleſiâ Catholicâ eſſe Hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbiteris & Miniſtris.

II.

Epiſcopos Presbiteris ſuperiores eſſe ; & eam poteſtatem confirmandi & ordinandi quam habent, (non) *illis eſſe cum Presbiteris communem* (1).

(1) Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 6. & 7.

Digitized by Google

Ideo damnat ſancta Synodus propoſitiones ſibi denuntiatas, nempè :

I.

J'ai dit en pluſieurs endroits que les Evêques étoient d'inſtitution divine... mais la vérité exige de moi que je me corrige ſur ce point.

I.

Pluribus in locis, Epiſcopos inſtitutionis eſſe divinæ, docui... at exigit veritas, ut in hac re memetipſum emendem.

II.

Jeſus-Chriſt en inſtituant le Sacerdoce ... n'a mis ni établi aucune différence entre ceux qu'il a honorés de cette dignité ; en ſorte que les Evêques, c'eſt-à-dire, les Patriarches, les Primats, les Archevêques, les Evêques & les ſimples Prêtres poſſedent tous & un chacun la plénitude du Sacerdoce en entier & d'une maniere indiviſible.

II.

Chriſtus Sacerdotium inſtituendo, nullum diſcrimen poſuit inter eos quos hâc dignitate auxit ; adeo ut Epiſcopi, id eſt, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac ſimplices Presbiteri, poſſideant omnes ac ſinguli integram ac prorſùs individuam Sacerdotii plenitudinem.

III.

Ce Prêtre, ou plutôt cette multitude de Prêtres qui ſont mis à la tête du Clergé de chaque Diocèſe, abuſant de la place d'honneur à laquelle on les a élevés, s'imaginent être par leur caractere au-deſſus de leurs Confreres (les ſimples Prêtres), qui leur ſont égaux à tous égards, ſelon leur inſtitution divine.

III.

Hic Presbiter, ſeu potiùs hæc multitudo Presbiterorum, qui Clero uniuſcujuſque Diœceſis præſunt, honore quo ſublimantur abutentes, ſuo caractere longiùs eminere putant, quàm Presbiteri ſimplices, qui tamen ipſis pares ſunt, ex omni reſpectu, juxta divinam eorum inſtitutionem.

IV.

Jeſus-Chriſt a défendu expreſſément qu'il y eût (entre les Paſteurs de ſon Egliſe) aucune ſupériorité.

IV.

Chriſtus expreſsè prohibuit ne ulla ſit ſuperioritas (inter ſuæ Paſtores Eccleſiæ).

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, tanquam falſas, in ſacrum Epiſcoporum ordinem contumelioſas, erroneas, ac etiam hæreticas, quatenùs ſacram Hierarchiam à Chriſto inſtitutam funditùs ſubvertunt.

RELATIO

RELATIO VII.

De Indulgentiis & Excommunicatione, ac de Traditione.

D. FRANCISCUS MEGANCK, ampliſſimus Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, votum primæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

CENSEMUS à ſancto Cœtu declarandum eſſe ſe non tantum intendere damnare propoſitiones excerptas è libello inſcripto: *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. hactenùs ſibi denuntiatas, ſed etiam plures alias opiniones ejuſdem operis, quæ ad minus falſæ, ſcandaloſæ & temerariæ ſunt; necnon convicia quæ evomit in Sanctam Sedem, Summos Pontifices & Epiſcopos; atque verborum atrocitatem quâ plurimos abuſus inſectatur: quæ quidem atrocitas eum non exhibet pacis amorem qui decet Catholicum virum, ſed illam potiùs arrogantiam atque impotentiam quâ ſolent efferri novatores, & Eccleſiam perturbare. Has autem opiniones &c. ſummatim in ipſomet opere perlegendas, ſacro Cœtui tradimus.

Cenſemus præterea circa materiam indulgentiarum & excommunicationis, ad ſubmovenda omnia probra & convicia in Sanctam Sedem à Denuntiatore congeſta, publicanda eſſe duo Decreta Concilii Tridentini hanc doctrinam ſpectantia.

Denique ſancto Cœtui examinandas ſubmittimus ſubſequentes propoſitiones, excerptas ex Epiſtolâ encyclicâ, quam paulò ante hujus Synodi inchoationem miſit Denuntiator ad omnes Eccleſiæ Batavæ Paſtores nobis adhærentes, atque etiam ad hanc Synodum jam actualiter congregatam; in quibus propoſitionibus novum & graviſſimum errorem præcedentibus erroribus adjicit, abſolutè repudiando Traditionis auctoritatem, id eſt, doctrinam popularem in Concilio Tridentino definitam, & ab omnibus Catholicis creditam.

Propoſitiones excerptæ ex Libello cui titulus : *Lettre circulaire & Dénonciation adreſſée à Meſſieurs les Paſteurs de l'Egliſe de Hollande, tant du diſtrict de l'Archevéché d'Utrecht, que des Evéchés de Haarlem & de Deventer.*

I.

Je réponds que les Traditions Apoſtoliques non écrites, que S. Auguſtin reconnoît avec d'autres Peres, ne regardent aucunement la doctrine, mais ſeulement des coutumes, des uſages, & d'autres choſes indifférentes par elles-mêmes. P. 79.

I.

Reſpondeo quod Traditiones Apoſtolicæ non ſcriptæ, quas S. Auguſtinus agnoſcit cum aliis Patribus, nullo modo ſpectent Doctrinam, ſed tantum conſuetudines, ritus, & alias res per ſeipſas indifferentes.

II.

Saint Auguſtin .... croyoit que toutes les vérités de doctrine que nous devons croire & profeſſer étoient contenues tant dans l'ancien Teſtament que dans l'Evangile, & dans les Ecrits des Apôtres ... Peut-être, Meſſieurs, que les préjugés qui ſont nés avec nous, & qui ſe ſont fortifiés par la lecture de nos Théologiens, vous empêcheront de ſentir toute la force de ce raiſonnement, quelque invincible qu'il ſoit ; & que vous continuerez de croire que Saint Auguſtin favoriſe ou autoriſe la doctrine de nos Théologiens & du Concile de Trente, qui enſeigne & qui ordonne de croire, ſous peine d'anathême, qu'il y a deux ſortes de parole de Dieu ſur la doctrine, qui ſont également regle de foi & également adorables : l'une écrite, & l'autre non écrite. Mais voici, Meſſieurs, de quoi vous détromper puiſſamment, & de quoi vous convaincre que rien n'eſt plus oppoſé à la doctrine de S. Auguſtin que cette doctrine, que le Concile de Trente & nos Théologiens nous donnent pour une doctrine de foi. P. 80.

II.

S. Auguſtinus ... credebat omnes doctrinæ veritates quas credere & profiteri debemus, contineri tàm in veteri Teſtamento quàm in Evangelio & in Scriptis Apoſtolorum ... Forſan, Domini, præjudicia nata nobiſcum, & quæ firmata ſunt noſtrorum Theologorum lectione, impedimento erunt, ne totam hujus ratiocinationis vim ſentiatis, quantumvis invincibilis ſit ; & ſemper credetis S. Auguſtinum favere & auctoritatem dare doctrinæ noſtrorum Theologorum, & Concilii Tridentini docentis & præcipientis ut credatur, ſub anathematis pœnâ, duo eſſe genera verbi Dei circa doctrinam, quæ pariter ſunt regula fidei, & pariter adoranda : aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum. Sed ecce, Domini, unde errorem veſtram deponatis potenter, & undè perſuaſum habeatis, nihil eſſe magis oppoſitum doctrinæ Sancti Auguſtini doctrinâ illâ quam Concilium Tridentinum & noſtri Theologi dant pro doctrinâ fidei.

III.

Toute Tradition qui eſt conforme à l'Ecriture, eſt par cela même écrite dans l'Ecriture. P. 84.

IV.

Mais, me direz-vous, le Concile de Trente enſeigne que les vérités que l'on doit croire ne ſont pas toutes contenues dans l'Ecriture ſainte, qu'il en a paſſé de main en main, depuis Jeſus-Chriſt juſqu'à nous, qui ne ſont point écrites dans les Livres ſacrés : que ces vérités non écrites ont la même autorité que les vérités écrites, & qu'il faut les croire les unes & les autres avec le même reſpect, ſous peine d'anathême. J'aurois bien des choſes à répondre à cette objection... En attendant, voici une courte réponſe, qui ſeule ſuffit pour infirmer abſolument tous les nouveaux dogmes de foi que le Concile de Trente a faits, ſous prétexte qu'ils ſont de Tradition Apoſtolique. 1°... 2°... Ce Concile n'eſt & ne peut être un Concile général. P. 92.

V.

Les Decrets & les déciſions (de ce Concile) ne doivent pas nous en impoſer, ſur-tout ſi nous y trouvons une doctrine qui n'a été prêchée ni par Jeſus-Chriſt ni par les Apôtres, & qui eſt oppoſée diametralement à la doctrine des plus célebres Peres. Tel eſt le Decret ſur la Tradition, que l'on qualifie de parole de Dieu non écrite. P. 93.

VI.

Une Profeſſion de Foi ne doit ontenir que des vérités de foi (ré-

III.

Omnis Traditio quæ Scripturæ conformis eſt, ex eo ipſo eſt ſcripta in Scripturâ.

IV.

Sed, inquies, Concilium Tridentinum docet, veritates quæ credendæ ſunt, non omnes contineri in Scripturâ ſacrâ, ſed multas traditas eſſe de manu ad manum, à Jeſu-Chriſto uſquè ad nos, quæ non ſunt ſcriptæ in Libris ſacris : illas veritates non ſcriptas eandem habere auctoritatem quam (habent) veritates ſcriptæ, & has & illas credendas eſſe cum eâdem veneratione, ſub anathematis pœnâ. Multa haberem reſpondenda ad hanc objectionem... Interim, en brevis reſponſio, quæ ſola ſufficit ad infirmanda abſolutè omnia nova fidei dogmata quæ Concilium Tridentinum fecit, ſub prætextu quod ſunt Traditionis Apoſtolicæ. 1°.... 2°.... Concilium hoc nec eſt, nec eſſe poteſt Concilium generale.

V.

(Hujus Concilii) Decreta & ejus deciſiones non debent nobis imponere, præſertim, ſi in eo reperiamus doctrinam quæ neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis fuit prædicata, & quæ oppoſita eſt ex diametro doctrinæ celeberrimorum Patrum. Tale eſt Decretum de Traditione, quæ vocatur verbum Dei non ſcriptum.

VI.

Profeſſio Fidei nihil debet continere niſi veritates fidei (revelatas &) con-

Digitized by Google

véles &) contenues littéralement dans l'Ecriture. P. 98.

tentas ad litteram in Scripturâ.

VII.

Toute Tradition ſur la doctrine qui n'eſt pas écrite dans les Livres ſaints, ne peut point être appellée Tradition évangélique ni Tradition apoſtolique. P. 98.

VII.

Omnis Traditio circa doctrinam quæ non eſt ſcripta in Libris ſanctis, non poteſt vocari Traditio evangelica, nec Traditio apoſtolica.

DECRETUM VII.

Licet Propoſitiones duntaxat quæ ſex præcedentibus Decretis damnantur, cenſurâ notaverit ſancta Synodus, non ideò intendit approbare aut intactas relinquere plures alias propoſitiones ſibi ſummatim denuntiatas, in quibus varios detexit errores & falſas opiniones; necnon convicia impudenter congeſta tàm in ſanctam Sedem & in Summos Pontifices, quàm in Epiſcopos: & immoderatum ac acerbum zelum, cùm loquuntur de Indulgentiis Romæ conceſſis, & Excommunicationibus quæ identidem contorquentur: Circa hæc duo capita Synodo placuit hîc inſerere duo Concilii Tridentini Decreta, in quibus non obſcurè continetur quod circa hos duos catholicæ Doctrinæ Articulos, ab omnibus Catholicis credendum eſt.

Decretum Concilii Tridentini, de Indulgentiis (1).

Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitùs ſibi traditâ, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: ſacro-ſancta Synodus indulgentiarum uſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſiâ retinendum eſſe docet & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſiâ poteſtatem eſſe negant; in his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſiâ conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimiâ facilitate eccleſiaſtica Diſciplina enervetur.

(1) Seſſ. 25. Conc. Trid. œcum.

Decretum Concilii Tridentini, de Excommunicatione (1).

Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & ad continendos in officio Populos valdè ſalutaris, ſobriè tamen, magnâque circumſpectione exercendus eſt; cùm experientia doceat, ſi temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm ſalutem.

Deniquè quod ſpectat ad propoſitiones ultimò & ſpecialiter ſanctæ Synodo denuntiatas, ſcilicet.

I.

Je réponds que les Traditions Apoſtoliques non écrites que Saint Auguſtin reconnoît avec d'autres Peres, ne regardent aucunement la doctrine, mais ſeulement des coutumes, des uſages, & d'autres choſes indifférentes par elles-mêmes.

I.

Reſpondeo quod Traditiones Apoſtolicæ non ſcriptæ, quas S. Auguſtinus agnoſcit cum aliis Patribus, nullo modo ſpectent doctrinam, ſed tantùm conſuetudines, ritus & alias res, per ſeipſas indifferentes.

II.

Saint Auguſtin... croyoit que toutes les vérités de doctrine que nous devons croire & profeſſer, étoient contenues tant dans l'ancien Teſtament, que dans l'Evangile, & dans les Ecrits des Apôtres...... Peut-être, Meſſieurs, que les préjugés qui ſont nés avec nous, & qui ſe ſont fortifiés par la lecture de nos Théologiens, vous empêcheront de ſentir toute la force de ce raiſonnement, quelque invincible qu'il ſoit, & que vous continuerez de croire que Saint Auguſtin favoriſe ou autoriſe la doctrine de nos Théologiens & du Concile de Trente qui enſeigne & qui ordonne de croire, ſous peine d'anathê-

II.

S. Auguſtinus... credebat omnes doctrinæ veritates quas credere & profiteri debemus, contineri tàm in veteri Teſtamento quàm in Evangelio & in Scriptis Apoſtolorum... Forſan, Domini, præjudicia nata nobiſcum, & quæ firmata ſunt noſtrorum Theologorum lectione, impedimento erunt ne totam hujus ratiocinationis vim ſentiatis, quantumvis invincibilis ſit, & ſemper credetis S. Auguſtinum favere & auctoritatem dare doctrinæ noſtrorum Theologorum & Concilii Tridentini docentis & præcipientis ut credatur, ſub anathematis pœnâ, duo eſſe genera verbi Dei circa doctrinam, quæ pariter ſunt regula fidei; & pariter adoranda: aliud ſcriptum, aliud

(1) Seſſ. 25. cap. 3. Conc. Trid.

Digitized by Google

me, qu'il y a deux ſortes de parole de Dieu ſur la doctrine, qui ſont également regle de foi & également adorables ; l'une écrite, & l'autre non écrite. Mais voici, Meſſieurs, de quoi vous détromper puiſſamment, & de quoi vous convaincre que rien n'eſt plus oppoſé à la doctrine de Saint Auguſtin, que cette doctrine que le Concile de Trente & nos Théologiens nous donnent pour une doctrine de foi.

non ſcriptum. Sed ecce, Domini, undè errorem veſtram deponatis potenter, & undè perſuaſum habeatis nihil eſſe magis oppoſitum doctrinæ Sancti Auguſtini, doctrinâ illâ quam Concilium Tridentinum & noſtri Theologi dant pro doctrina fidei.

III.

Toute Tradition qui eſt conforme à l'Ecriture, eſt par cela même écrite dans l'Ecriture.

III.

Omnis Traditio quæ Scripturæ conformis eſt, ex eo ipſo eſt ſcripta in Scripturâ.

IV.

Mais, me direz-vous, le Concile de Trente enſeigne que les vérités que l'on doit croire ne ſont pas toutes contenues dans l'Ecriture ſainte, qu'il en a paſſé de main en main, depuis Jeſus-Chriſt juſqu'à nous, qui ne ſont point écrites dans les Livres ſacrés : que ces vérités non écrites ont la même autorité que les vérités écrites, & qu'il faut les croire les unes & les autres avec le même reſpect, ſous peine d'anathême. J'aurois bien des choſes à répondre à cette objection ... En attendant, voici une courte réponſe, qui ſeule ſuffit pour infirmer abſolument tous les nouveaux dogmes de foi que le Concile de Trente a faits, ſous prétexte qu'ils ſont de Tradition Apoſtolique. 1°.... 2°. Ce Concile n'eſt & ne peut être un Concile général.

IV.

Sed, inquies, Concilium Tridentinum docet veritates quæ credendæ ſunt, non omnes contineri in Scripturâ ſacrâ, ſed multas traditas eſſe de manu ad manum, à Jeſu-Chriſto uſquè ad nos, quæ non ſunt ſcriptæ in Libris ſacris : illas veritates non ſcriptas eandem habere auctoritatem quam (habent) veritates ſcriptæ, & has & illas credendas eſſe cum eâdem veneratione, ſub anathematis pœnâ. Multa haberem reſpondenda ad hanc objectionem ... Interim, en brevis reſponſio, quæ ſola ſufficit ad infirmanda abſolutè omnia nova fidei dogmata quæ Concilium Tridentinum fecit, ſub prætextu quod ſunt Traditionis Apoſtolicæ. 1°... 2°. Concilium hoc nec eſt, nec eſſe poteſt Concilium generale.

V.

Les Decrets & les déciſions (de ce Concile) ne doivent pas nous en impoſer, ſur-tout, ſi nous y trouvons une doctrine qui n'a été

V.

(Hujus Concilii) Decreta, & ejus deciſiones non debent nobis imponere, præſertim, ſi in eo reperiamus doctrinam quæ neque à Chriſto, neque ab

Digitized by Google

prêchée ni par Jeſus-Chriſt ni par les Apôtres, & qui eſt oppoſée diamétralement à la doctrine des plus célebres Peres. Tel eſt le Decret ſur la Tradition, que l'on qualifie de parole de Dieu non écrite.

Apoſtolis fuit prædicata, & quæ oppoſita eſt ex diametro doctrinæ celeberrimorum Patrum. Tale eſt Decretum de Traditione, quæ vocatur verbum Dei non ſcriptum.

VI.

Une Profeſſion de Foi ne doit contenir que des vérités de foi (révélées &) contenues littéralement dans l'Ecriture.

VI.

Profeſſio Fidei nihil debet continere niſi veritates fidei (revelatas &) contentas ad litteram in Scripturâ.

VII.

Toute Tradition ſur la doctrine, qui n'eſt pas écrite dans les Livres ſaints, ne peut point être appellée Tradition évangélique, ni Tradition apoſtolique.

VII.

Omnis Traditio circa doctrinam, quæ non eſt ſcripta in Libris ſanctis, non poteſt vocari Traditio evangelica, nec Traditio apoſtolica.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus tanquam falſas, ſcandaloſas, calumnioſas, temerarias, offenſivas piarum aurium, injurioſas in SS. Concilium Tridentinum œcumenicum, quod accuſant fabricaſſe nova dogmata, & propoſuiſſe tanquam Eccleſiæ fidem, fabulas toti Antiquitati incognitas, unanimi Patrum teſtimonio, & conſtanti Eccleſiæ Catholicæ Doctrinæ contrarias, deniquè, tanquam hæreticas, in quantum abſolutè rejiciunt auctoritatem Traditionis, id eſt, verbi Dei non ſcripti, & docent nihil tanquam de fide credendum, niſi quod in Scripturâ ſacrâ ad litteram continetur.

Atque ut magis ac magis præmuniantur Fideles contra hanc doctrinam heterodoxam, placuit Synodo hîc inſerere, circa hanc materiam, Decretum Concilii Tridentini œcumenici, cujus doctrina cum magnâ reverentiâ recipienda eſt, ſicut revera ubique recepta eſt ab his qui ſunt verè & ſincerè Catholici.

Decretum Concilii Tridentini ; de canonicis Scripturis (1).

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, Præſidentibus in eâ eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuò antè oculos proponens, ut, ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſiâ conſervetur : quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis ſanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei Filius, proprio ore primùm promulgavit, deindè per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit : perſpicienſque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt ; orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros, tam veteris quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, necnon traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ Catholicâ conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipit, & veneratur.

REQUISITIO

D. Procuratoris Synodi, contra errores Harduini & Berruyerii.

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

ERRORES operis cui titulus eſt : *Précis d'un Acte de dénonciation ſolemnelle*, &c. hactenùs cenſoriâ virgulâ notaſtis. Quas in Eccleſiâ Batavâ ſpargere conabatur tenebras tam perverſæ lucubrationis auctor, lux veritatis diſcuſſit. Verùm hac æquiſſimâ cenſurâ omnibus quibus affligimur malis nondùm ſufficienter occurriſtis. Multæ & magnæ prioribus ſæculis ſubortæ ſunt hæreſes, multa ſcandala ; ſed majora & plura quàm quæ ætati noſtræ reſervabantur, nulla unquam ætas vidit. Falſis

(1) Seſſ. 4. Conc. Trid.

principii

principiis innitentes olim in diverſos errores prolapſi ſunt famoſi Hæreſiarchæ. Alii circa ſanctiſſimæ Trinitatis, alii circà Verbi divini Incarnationis, alii circà Spiritûs ſancti à Patre & Filio procedentis Myſteria erravêre : nunc verò temerarii, imo apertè *errantes* infeſtiſſimi homines, ac *in errorem mittentes*, collectas omnium ſæculorum hæreſes, unum quaſi corpus fecêre hæreſeon. Non jam ut aliquandò impugnantur quidam Chriſtianæ doctrinæ Articuli diſputationum nubibus obumbrati ; ſed totum convellitur ad fundamentum uſquè Religionis ædificium. Hîc *Berruyerium*, ejuſque Magiſtrum *Harduinum*, Jeſuitas, denotari facilè intelligitis. *Pſeudo-doctores mente corruptos*, *veritate privatos*, *qui ſpiritibus erroris attendentes & doctrinis dæmoniorum*, *circà fidem naufragaverunt* (1).

Berruyerius, ſecutus *Harduinum*, quem Vir quidam peritiſſimus deſcribit tamquam παραδοξότατον, *venerandæ antiquitatis deſtructorem*, *doctè febricitantem*, *ſcepticum*, *credulitate puerum*, *audaciâ juvenem*, *deliriis ſenem* (2), *Berruyerius*, inquam, librum edidit cui titulus : *Hiſtoire du Peuple de Dieu* (3), aberrantis animi deliramentis ſcatentem, ac innumeris erroribus ebullientem. Prima pars hujus operis à doctiſſimo Montiſpeſſulani Epiſcopo primum proſcripta (4) : ſecunda, ab illuſtriſſimo Pariſienſium Archiepiſcopo, nec-non à quibuſdam aliis Præſulibus damnata fuit ac prohibita. Cui damnationi, Jeſuiticâ fide, cum Superioribus ſuis ſuſcribens *Berruyerius*, ſtatim varias edidit ejuſdem doctrinæ quam damnaverat defenſiones, in quarum alterâ minæ jactantur, ſi fortè quis Epiſcopus in librum & auctorem inſurgere attentaret. Sed neque majorem reverentiam & obedientiam præſtitit ſanctiſſimo felicis memoriæ Papæ Benedicto XIV, cujus Decreto eadem doctrina damnata eſt (5). Vix enim fuit lata ſententia, cùm juſtè indignans ſupradictus Summus Pontifex quod quis repertus eſſet tam audax tamque inſolens, ut quaſi inſultans, eumdem librum typis mandandum Italico idiomate daret, tantam improbitatem retundi neceſſarium exiſti-

(1) 1. Tim. 6. 5. 4. 1. 1. 19.
(2) D. De Boze, Academiæ Pariſienſis, ad Linguæ Gallicanæ perfectionem inſtitutæ, Scriba perpetuus. Hæc verba excerpſit Vir doctiſſimus ex quodam Harduini Epitaphio, quod Franciſco Atterburi, Epiſcopo Roffenſi, adſcribunt litterati.
(3) 1728.
(4) 1. Martii 1731.
(5) 17. Aprilis 1755.

mans, renovato ſuperiori Decreto, aliud ſolemniùs tulit (1) cujus verba hic referre pretium operis eſt.

» Ad futuram rei memoriam.... Nos demùm lectis atque perpenſis dic-
» torum Theologorum conſultationibus ſcripto exaratis, auditiſque
» eorumdem Cardinalium conſiliis, per has noſtras Apoſtolicas Litte-
» ras, ſæpè dictum opus tàm Gallico quàm Italico, aliove quolibet
» idiomate conſcriptum, tranſlatum aut typis impreſſum, necnon diſ-
» ſertationes & apologiam ſuperiùs enunciatas, propterea quòd in
» illo & in illis continentur propoſitiones reſpectivè falſæ, temerariæ,
» ſcandaloſæ, faventes hæreſi, atque hæreſi proximæ & à communi &
» unanimi SS. Patrum & Eccleſiæ ſenſu in divinarum Scripturarum
» interpretatione alienæ, damnamus & reprobamus; ipſumque librum
» legi, retineri, & quocumque idiomate denuò typis imprimi prohi-
» bemus.

Quis non credat, poſt tam ſolemnem damnationem, mortuo *Berruyerio*, ſodales ejus, ex illâ Societate quæ ſpeciali voto obligata, tenetur omnem Summo Pontifici præſtare obedientiam, tandem converſos ad pœnitentiam, humili confeſſione errores *Berruyerii* retractaturos. At contra evenit. Non multo poſtquàm Decretum Benedicti XIV notum factum eſt in Galliâ, ex tam fætido errorum puteo afflata eſt peſtis alia ſuperioribus gravior, tertia ſcilicet ejuſdem operis pars, quam SS. Papa Clemens XIII, qui etiam nunc regit Eccleſiam, ubi Sedem Petri conſcendit, confirmato per Prædeceſſorem ſuum lato judicio, cum iiſdem notis damnavit (2). » Quod opus, inquit, ob doc-
» trinæ fallaciam, & contortas ſacrarum litterarum interpretationes,
» offuſis etiam tenebris ſuper eos Articulos quos Chriſtiani Populi fides
» ac pietas præcipuè profitetur & colit, *ſcandali menſuram implevit* «.
Quam doctrinam eo perculoſiorem idem Pontifex judicavit, quo minùs qui eam combibunt cavent ab illis auctoribus, qui dum Religionis cauſam videntur defendere, eam de facto pervertunt; dùm ſeſe exhibent tamquam Verbi divini interpretes, illud enixè adulterare ſtudent. Sic enim ait, in eâdem damnatione (3) » ſalutaribus veterum Patrum do-

(1) 17. Febr. 1758.
(2) Damnatio & prohibitio operis cui titulus: *Hiſtoire du Peuple de Dieu*, 3. Pars, die 2. Decemb. 1758.
(3) Ibidem.

Digitized by Google

» cumentis inſtruimur, novis petulantium ingeniorum interpretationi-
» bus verum ſacrarum Scripturarum ſenſum interverti, idque in Populi
» ſeductionem potiùs quàm in inſtructionem cedere, ſi præſertim ſa-
» crarum Litterarum expoſitionis obtentu, offendicula parentur incan-
» tis, & catholicæ veritati aut præjudicium inferatur, aut auferatur
» præſidium quo potiſſimùm roboratur.

Illuſtriſſimus ac doctiſſimus Sueſſionenſis Epiſcopus videns mortiferum ejus doctrinæ venenum per Jeſuitas, ſpretis Summorum Pontificum & Epiſcoporum damnationibus, ubique ſpargi, & ipſum librum maximè in Monialium Monaſteria diſtribui, & publicè ac privatim legi, muneris ſui eſſe duxit, quoniam prior medicina imbecillior eſſet quàm malum, paſtorale documentum ad Fideles ſuos dare, in quo damnatis Joannis *Harduini* commentario in Novum Teſtamentum, *Berruyerii* toto opere in tres partes diſtributo, ejuſque defenſionibus & apologiis, fusè ac dilucidè fidem chriſtianam adſtruit & confirmat, de verâ Scripturas interpretandi ratione, de Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis ac Divinitatis Jeſu Chriſti Myſteriis, de auguſtis Meſſiæ functionibus tanquam Salvatoris & Pontificis, de peccati originalis veritate, & pluribus aliis fidei dogmatibus, contra *Harduini* & *Berruyerii* circa eadem capita erroneas propoſitiones, quas damnat tamquàm ſpectantes » ad
» deſtruendam immutabilem fidei regulam in Scripturis, traditione,
» perpetuâque Eccleſiæ prædicatione contentam, Sedis Apoſtolicæ
» autoritati derogantes, Concilii Tridentini de interpretandis Scriptu-
» ris legi contrarias, Sabellianorum, Neſtorianorum, Pelagianorum,
» Socinianorum hæreſi, ac Deiſtarum impietati faventes, « &c. cujus vigilantiſſimi Epiſcopi exemplo, ac piorum virorum querulis incitata ſacra Theologiæ Pariſienſis Facultas, tandem primam cenſuræ ſuæ partem edidit omni laude digniſſimam, in quâ ſapientiſſimi Doctores præter nôtas *Berruyerianæ* doctrinæ ſupra inflictas, plurimas propoſitiones arguunt & damnant tamquam hæreticas & blaſphematorias.

Denique non minori fidei puritatis ſtudio incenſus illuſtriſſimus Archiepiſcopus Lugdunenſis, eâdem ratione & viâ procedens quâ præfatus Epiſcopus Sueſſionenſis, propoſitâ omnium ſæculorum fide, catholicâque doctrinâ, ejuſdem *Berruyerii* errores in pulverem, ut ita dicam, conterit, atquè iiſdem notis condemnat.

At ne quis exiſtimet nihil ad nos pertinere *Berruyerii* errores, ut-

potè qui in externas ac longinquas Eccleſiæ partes diſſeminantur ; ut hoc ſanè ſit, an unum corpus non eſt Eccleſia ? An, ſicut ipſius bona, ita & mala ſingulis ejus membris non ſunt communia ? De hac re Baſilium audiamus : » Dominus noſter Jeſus Chriſtus (inquit) (1) cùm ſuum ipſius » corpus dignatus ſit appellare univerſam Dei Eccleſiam ... dedit & nobis omnibus ad omnes neceſſitudinem habere ſecundùm membrorum » concordiam ; quapropter etſi quam longiſſimè ab invicem ſejuncti ſimus habitationibus, conjunctionis habitâ ratione vicini inter nos ſumus.

Sed nedùm verum ſit *Berruyerii* errores non ad nos uſque penetraſſe, Joannis *Harduini* Commentarius in Novum Teſtamentum diciturin fronte operis Amſtelodami impreſſus anno 1741. Secunda & tertia pars libri Joſephi *Berruyerii* rursùs Amſtelodami annis 1753 & 1758 typis impreſſa inſcribitur. Tandem novimus multa pernicioſorum horum librorum exemplaria per has Provincias ad perniciem animarum ſparſa.

Quid ? ſi hæc noſtræ Eccleſiæ portio minùs ſcandalis, minùs erroribus eſt afflicta, nùm ideò, dùm omnia circa nos velut continenti ardent incendio, dùm fidei lumen extinguitur, dùm ſpiritualia templa evertuntur, ac mores depravantur, hæc cognita nobis, inertes, otioſi, ac vix ſtupentes audiemus, videbimus, nec metuemus ne malum fallaciter increſcens ac ſerpens (quod abſit) ad Fideles noſtros uſque perveniat.

Itaquè cùm exigat muneris noſtri ratio ut munitiſſimis aggeribus oppoſitis, graſſantes lupos totis viribus ab ovilibus noſtris repellamus, enixè poſtulamus ut in Congregatione à ſanctâ Synodo deſignatâ, textus impii ac heterodoxi tum *Harduini*, tum *Berruyerii*, quos ſeorſim multo labore jam annotavimus, diligens ad examen vocentur.

(1) Ep. 243. t. 1.

RELATIO VIII.

De Harduini & Berruyerii Jeſuitarum erroribus.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Epiſcopus Daventrienſis, votum ſecundæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

GRAVES adeò & horrendi ſunt *Harduini* & *Berruyerii* errores; adeò apertè offendunt ſingula fidei capita, ut nullâ jam confutatione indigeant. Tot numero ſunt, ut nihil in Religione ſanum, nihil integrum ſinant remanere; vixque unum volumen fuerit ſatis, ſi ſingulos ipſiſmet Auctorum verbis ſimus expoſituri. Præterea, ut de Theologis ſileamus, tantâ vi, tantâ ſagacitate à pluribus illuſtriſſimis Præſulibus explicati ſunt, ut eos ſummatim perſtringere, cenſuraſque in eos immiſſas adoptare ſufficiat.

Religionis Chriſtianæ neceſſitas; inconcuſſa veritatis ejus argumenta; Eccleſia ejuſque caracteres; regula fidei, Scriptura ſcilicet & Traditio; Myſterium SS. Trinitatis; æterna Patris paternitas; Verbi conſubſtantialitas; divinitas Spiritûs Sancti; hominis innocentis ſtatus; lapſus illius; peccatum originale; Baptiſmi neceſſitas; Myſterium Incarnationis; unitas perſonæ in Chriſto; ejus divinitas & æterna generatio; gratuita in unionem hypoſtaticam humanitatis electio; Myſterium Redemptionis; Chriſti ſatisfactio pro omnium hominum peccatis; divina Mariæ Virginis maternitas; gratiæ & prædeſtinationis dogmata; evangelica moralis; quid plura? omne Religionis ædificium dirutum eſt: nec jam Chriſti Religio ulla eſt; huic nova & commentitia ſuccedit ab audacibus & nefandis, imò & apoſtatis viris excogitata.

I.

Chriſtianæ Religionis neceſſitas.

Chriſti Religio, ſi duobus illis Auctoribus credas, nullâ unquam ætate fuit, nec etiam noſtrâ eſt neceſſaria. Quatuor annorum millibus, homines, ne exceptis quidem Patriarchis & Prophetis, *juſtificati ſunt per*

legem naturalem (1) ; ex quâ abſurdè volunt oriri omnem Religionis affectum, *ſpiritum fidei*, *ſpei & caritatis* (2). Porrò illa fides, non fides in Chriſtum, ſed *in unum Deum creatorem*, *remuneratorem & vindicem* (3). Religio naturalis Legi Moſaicæ vim addebat ad juſtitiam & beatitudinem perducendi (4). Tunc temporis ſalutem obtinebant homines, etſi Chriſtiani non eſſent, etiam per anticipationem, nec Chriſti membra, neque in illo adoptati, neque ex numero fratrum ejus & cohæredum (5) ; abſque Salvatore ſalvi facti ſunt. Naturalis hæc Religio etiam nunc ſubſiſtit eorum reſpectu quibus Chriſti Evangelium non fuit ſufficienter promulgatum (6) : imò valdè conſequens & probabile eſt unicuique liberum eſſe naturalem inter & Chriſtianam Religionem, alteram quam voluerit eligere. Chriſtiana ad perfectionem tantum valet, & ſcenicam, ut vera loquamur, oſtentationem (7). Excellentiorem juſtitiam, ac proindè gloriam perfectiorem impertitur, ita ut minimus Chriſtianorum major ſit Patriarchis, Moyſe, Prophetis, ipſoque Joanne Baptiſtâ, etſi inter natos mulierum non ſurrexerit major (8). Naturalis verò Religio ad veram juſtitiam, veramque beatitudinem ſufficit.

I I.

Argumenta veritatis Religionis Chriſtianæ.

1°. Prophetiæ, ex novorum Scriptorum principiis, veritatis Religionis Chriſtianæ non ſunt argumenta. Patriarchæ, Moyſes & Prophetæ cùm non cognoverint adoranda Trinitatis & Incarnationis Myſteria (9), nullus Prophetarum prænuntiare potuit Meſſiam ut æternum Dei Filium, ad hominum ſalutem in carne venturum (10). Hoc gene-

(1) Berruy. 1. P. tom. 1. Præf. p. 21. 2. P. t. 1. p. 122. tom. 5. p. 194. t. 8. p. 218.
(2) Berr. 2. P. t. 8. quæſt. 4.
(3) Harduin. in Joann. 8. 56. in Heb. 11. 1. 4. 5. 26. Berr. 2. p. t. 4. p. 86. t. 8. p. 217. 3. P. t. 2. p. 64.
(4) Hard. in Act. 9. 2. Berr. 2. P. t. 8. p. 212. 3. P. t. 1. p. 247. nov. def. p. 111. 112.
(5) Hard. in 1. Cor. 15. 23. Berr. 1. P. t. 1. Præf. p. 21. 2. P. t. 8. p. 219. 235. 236.
(6) Hard. in Rom. 8. 19. in 1. Cor. 15. 22. Berr. 2. P. t. 1. p. 57. &c. t. 3. p. 143.
(7) Berr. 2. P. t. 1. p. 294.
(8) Berr. 2. P. t. 8. p. 222. 223. t. 5. p. 194. 200. 201.
(9) Berr. 2. P. t. 8. p. 80. 81. 151. 238. t. 2. l. 3. p. 248. t. 4. l. 8. p. 60.
(10) Harduin. in Joan. 1. 18.

rali nituntur principio, nempè volunt omnia Prophetarum loca quæ ſemper de Chriſto intellecta ſunt in ſenſu proprio, genuino, & immediato, aliud ſpectare objectum: nec jam in eis reperire eſt præcipuas Meſſiæ Conceptionis, Nativitatis, Vitæ, Mortis, Reſurrectionis & Aſcenſionis circumſtantias (1) ejuſque miracula (2).

2°. Chriſti divinitas miraculis ejus non aſtruitur, quæ, ut aiunt, *non potentiâ* ſibi propriâ, *ſed prece aut poſtulatione* efficiebat; *eò unicè ſenſu dicitur Jeſus Chriſtus miraculorum effector* (3).

3°. Filii Dei Reſurrectio, quâ tanquam baſi Religio ſuperſtruitur, nullam jam habet certitudinem, ruitque Religio, ſi cum perverſis illis hominibus dicatur, leviter & inconſideratè huic Chriſti Reſurrectioni fidem adhibuiſſe Apoſtolos, unoque adductos eſſe ad illam credendam Petri teſtimonio qui nec ipſe teſtis fuerat (4).

4°. Chariſmata primis Eccleſiæ temporibus adeo communia, omniumque prodigiorum certiſſima, utpotè quæ in ſeipſo unuſquiſque experiebatur, *ſermo ſapientiæ*, *gratia ſanitatum*, *operatio virtutum*, *diſcretio ſpirituum*, *genera linguarum*, *interpretatio ſermonum*, omnes illæ operationes Sancti Spiritûs evaneſcunt, ab hiſque Scriptoribus habentur tanquam operandi facultates vel naturâ inſitæ, vel ſtudio ac labore comparatæ (5). *Genera linguarum*, exempli gratiâ, nihil aliud ſunt, quàm litteris hebraïcis perdiſcendis opera data: *Prophetia* verò nihil aliud quàm elaborata oratio ad Populum habita, aut laudes Domini decantatæ (6).

5°. Non jam Apoſtolorum opus dicendum erit orbis ad Deum converſi ingens miraculum. Chriſtus dixit eis: *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (7): quod feciſſe illos è ſacris Litteris conſtat: *profecti* enim *prædicaverunt ubique* (8). Novorum autem dogmatum Magiſtris placet horum nihil eſſe ab Apoſtolis factum, imò nec illos unquam è Paleſtinâ exiviſſe (9). Chriſtum Gentibus prædicavit

(1) Hard. Chron. Vet. Teſt. p. 593. &c. in 1. Petr. 1. 10. 11. 12.
(2) Berr. 3. P. t. 5. p. 66. 67. 68. &c.
(3) Berr. 2. P. t. 8. p. 13. 14. t. 2. p. 3. 4. 5. &c. Hard. Comm. p. 247. &c.
(4) Hard. in Luc. 24. 33. 34. in Joan. 20. 5. 7. &c. Berr. t. 6. p. 29. 30. 57. 68.
(5) Hard. in 1. Cor. 12. 10. 28. 30. in Act. 21. 9. in 1. Theſſ. 5. 20. Berr. 3. P. t. 2. p. 342. 348. 361. 363. 375. 380. t. 4. p. 52. 2. P. t. 7. p. 194.
(6) Berr. 3. P. t. 2. p. 342. 388. 360. &c. 2. P. t. 7. l. 20. p. 194.
(7) Marc. 16. 15.
(8) Marc. 16. 20.
(9) Hard. in Matth. 10. 7. in Act. 1. 8. Berr. 2. P. t. 6. p. 233. 3. P. t. 1. p. 32. 5. p. 1. 2. 8. 152. 207. 208. 214.

unus Apoſtolorum Paulus, nec conſpirante quidem cæterorum conſenſu, quem tamen conſenſum apertè Scriptura declarat (1). Ergò non incredibile erit Religionem diverſam à Religione duodecim Apoſtolorum Paulum inſtituiſſe. Tandem nec illi nec Paulus Romanam Eccleſiam fundaverunt : ſiquidem ex ipſiſmet *Berruyerii* verbis, non conſtituta eſt *Romana Eccleſia & Apoſtolica Sedes, niſi poſt deletam Rempublicam Judaïcam* (2) ; proindeque multos annos ab obitu Petri & Pauli.

6°. Ex inflictis Populo Judaïco pœnis ſtupendoque illius ſtatu à tam longâ temporum ſerie cuivis paululum attento deprehendere eſt, quanti ſceleris reus factus ſit, Chriſtum occidendo. Iis autem aliter viſum : non occiſionis Chriſti pœnas luit, propterea tantum plectitur, *quod à Lege Moſaïca diſcedens, diis alienis inſervierit* (3). Quæ ſanè apoſtaſia merum eſt petulantium ingeniorum commentum.

III.

Eccleſia ejuſque caracteres.

Cùm ſit Eccleſia Societas exterior quæ Religionem Chriſti profitetur, quo ictu Religio, eodem Eccleſia corruit. Jam non eſt unica illa Arca quæ à diluvio eripit, & extrà quam nulla eſt ſalus, quandoquidem in illorum Scriptorum mente, quovis tempore ac loco, mediante ſolâ Lege naturali, nec Chriſto, nec ejus Eccleſiâ cognitis, ad juſtitiam ſalutemque perventum eſt, & etiam nunc pervenitur. Inde ſequitur eam non eſſe *Unam*, *Sanctam*, cùm ubicumque foris *Sanctitas* reperiatur : jam non eſt neceſſarium in Eccleſiâ recipi, nec tantæ utilitatis in illius ſinu vivere. Quis tunc erit gratus animus in miſericordiam Dei Patris, *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ* (4) ? Non illa *Catholica*, ſeu Univerſalis ; non ad omnes ætates extenditur : Juſti enim qui ante Chriſti tempora vixerunt, non ſunt ejus. Non omnia loca complectitur ; ſolâ enim Lege naturali ſalus obtinetur in quavis Societate hæreticâ, ſchiſmaticâ, mahumetanâ, imò & idololatrâ. Non eſt *Apoſtolica*, cùm ex ipſis Scriptoribus *noluerit Chriſtus Eccleſiam gentium conſtitui, niſi poſt completum urbis Jeroſolimitanæ ex-*

(1) Gal. 2. 1. 2. Hard. in Gal. 2. 9. Berr. 2. P. t. 7. p. 24. 3. P. t. 3. p. 174. &c.
(2) Berr. 2. P. t. 8. p. 170. 171.
(3) Berr. 3. P. t. 4. p. 61. 62. 63.
(4) Coloſſ. 1. 3.

cidium

cidium (1). Supponunt etiam tunc temporis vitâ functos eſſe Apoſtolos, ita ut impoſſibile ſit *Apoſtolos* Eccleſiæ gentium conditores fuiſſe.

IV.

Regula Fidei.

Quod ad fidei regulam pertinet, eam penitùs evertunt perverſi illi errorum opifices. Sua Eccleſiæ arma adimunt, ita ut nullum deinde dogma contra Novatorum aſſultus tueri ac propugnare poſſit. Nihil aliud eſt regula fidei quàm revelatio, aut verbum Dei in Libris ſanctis & Traditione contentum, cujus interpres infallibilis & cuſtos incorrupta eſt ſancta Mater Eccleſia. Sed, ut ſomniant duo noſtri Auctores, nulla ex Scripturâ & Traditione deduci poſſunt valida myſteriorum & dogmatum noſtrorum argumenta. » Circa innumera, inquit *Berruyerius*, quæ » nos ab Eccleſiâ edocti... credimus, rara (fuit) in publicis Jeſu Chriſti ad » Populum concionibus mentio, atque illa certè non aperta, non evo- » luta, ſed... implicita & ſubobſcura : non ex inſtituto, nunquam niſi ex » occaſione brevis & quaſi furtiva expoſitio « (2). Primævos præterea Scripturæ textus tanquam adulterinos expreſsè rejicit *Harduinus*, & circa nonum aut undecimum ſæculum confictos aſſerit. Traditionis verò primarium fontem uterque obſcurant, dùm dogmatum & myſteriorum rudimenta repetunt à privatâ quâdam inſtitutione, quam Chriſtus, Apoſtolorum gratiâ, condidit, & ab aliâ non minus ſecretâ & obſcurâ, quam ad prioris normam fundaverunt Apoſtoli : de quâ quidem inſtitutione nihil unquam in vulgus emanavit, quamque ſibi finxerunt noſtri Auctores contrà expreſſum ſermonem Chriſti, coram Pontifice & omni Concilio dicentis : *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagogâ & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil* (3). Eâ etiam aguntur inſaniâ, ut omnia SS. Patrum opera, ipſaque Conciliorum generalium Decreta tanquam ficta & commentitia habeant (4).

Judicia aut definitiones Eccleſiæ, ait eorum alter, *minimè influunt in aſſenſum à Fideli exhibitum, & non ſunt unum ex eis motivis quæ intellec-*

(1) Berr. 2. P. t. 3. l. 6. p. 195. t. 4. l. 9. p. 226.
(2) Berr. 2. P. t. 8. p. 164. 169.
(3) Joan. 18. 20.
(4) Def. Berr. 1755. 1759. p. 10.

eam revelationi ſubjiciant (1); ut ſimplicium ſic & Paſtorum conditio (2). Non aliam habet fidei ſuæ regulam Eccleſia quàm *hodiernum documentum*, neque aliud veritatis hujus documenti argumentum, quàm publicitatem ejuſdem documenti, cujus objectum non ad multa extenditur. Eas tantum veritates complectitur, quas nemo unquam negavit aut obſcuravit, quas ab Eccleſiâ definiri nunquam fuit neceſſarium, quæque recipiuntur ab univerſis Societatibus quæ Chriſtiano nomine gloriantur, ne Socinianis quidem exceptis (3). Hoc merum eſt Tolerantiſmi ſyſtema.

V.

Sanctiſſima Trinitas.

Quis poſteà miretur, quod totis viribus omnia Myſteria tentent evertere? Nullum eorum, juxta ſyſtema *Berruyerii*, eſt objectum hodierni documenti; attamen omnia hæc Myſteria complectitur hodiernum Eccleſiæ Romanæ documentum. Ergo de illo non agitur documento in mente *Berruyerii*. Hodiernum documentum vocat illud quod commune eſt omnibus Societatibus quæ ſe Chriſtianas inſcribunt. Ex illis Societatibus ſuam conflat Eccleſiam; & cum eâ rejicit Trinitatis Myſterium quod, ut & Myſterium Incarnationis, ante Chriſtum *nulli hominum revelatum* fuit & *cognitum* (4), ac de quo nunquam ex *inſtituto*, *ſed ex occaſione tantùm brevis & quaſi furtiva expoſitio* à Chriſto facta eſt (5). Una eſt in Deo perſona, quæ tùm primùm Pater fuit, cùm ipſa ſibi Filium in tempore fecit, creatâ unitâque ſibi Jeſu Chriſti humanitate (6). Non eſt æterna generatio, non æternus Dei Filius, ſed tantum Filius factus in tempore, & hic Filius humanitas Chriſti eſt, cui ſoli propriè *& in recto* convenit Filii Dei appellatio (7). Cum Eunomio, Eunomeorum duce, aſſerunt iidem Auctores, *impoſſibile* eſſe *Patrem ad Verbum loqui* (8); & cum Arianis, ſtilo quidem SS. Scripturarum, *aliud* eſſe *Verbum*, *aliud Filium Dei* (9). Nihil aliud eſt Verbum, niſi decretum

(1) Berr. op. inſcrip. *Réflexions ſur la Foi*, p. 72.
(2) Ibid. p. 43. 44. 45.
(3) Ibid. p. 217. 218. 182.
(4) Berr. 2. P. 1. 8 p. 80. 81. 151. 258. t. 2. p. 248. t. 3. p. 80. 81. t. 4. p. 60. &c.
(5) Berr. 2. p. 1. 8. p. 165. 166. 167. 169.
(6) Hard. in Joan. 1. adnot. ad v. 1. p. 428. col. 2. & in Rom. 1. p. 434. 804. 808.
(7) Berr. 2. p. tom. 8. quæſt. 2. Hard. Comm. p. 252. Berr. def. p. 99.
(8) Hard. Comm. p. 649.
(9) Hard. Comm. p. 248. 433. 808. Berr. 2. P. t. 8. quæſt. 2.

ab æterno in mente divinâ conceptum producendi humanitatem quamdam, vel hominem quem faceret ſibi Filium (1). Non aliud eſt Spiritus Sanctus, niſi *virtus & efficientia divina*, vel *dona* ſpiritualia quæ Deus hominibus largitur, vel *Spiritus creatus :* cùmque de eo loquitur Scriptura, ut de perſonâ, tropicè tantum ac per *proſopopeiam* loquitur (2). Hæc igitur verba : *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſenſum iſtum exhibent : *in nomine unius veri Dei*, ſecundum unitatem naturæ ſuæ ſpectati, qui in tempore factus eſt *Pater Jeſu-Chriſti*, & *humanitatis Jeſu-Chriſti*, quam ſolus verus Deus Filium ſibi fecit in tempore; & Spiritus Sancti qui, ex eo quod nomen ejus nomini humanitatis Chriſti poſtponatur, eſſe non poteſt niſi *Spiritus creatus* (3).

V I.

Hominis lapſus : Originale peccatum.

Completa in tempore myſteria, non magis illibata reliquerunt Novatores illi, quàm æterna myſteria. Homo innocens, homo lapſus, homo reparatus, hæc Religionis ſumma eſt. Ex illorum autem principiis, homo propriè non fuit innocens, non lapſus eſt, non erectus & reparatus. È manibus Creatoris prodiit (licet ſupernaturali juſtitiâ donatus) noſtris miſeriis & infirmitatibus, ignorantiæ, concupiſcentiæ, defatigationi, morbis, ipſi morti obnoxius (4). Si non peccaſſet, *exemiſſet eum Deus à neceſſitate mortis naturâlis* (5). Sed peccati reus factus eſt; *in neceſſitatem mortis naturalis reincidit*, *effrœniſque facta eſt ejus concupiſcentia* (6). Naſcuntur poſteri ejus infelices, at non miſeri ac peccatores, quia *miſer non eſt quiſquam niſi culpâ propriâ ; infelix poteſt eſſe, etiam alienâ, ut ſunt Adæ poſteri :* atque hoc eſt originale peccatum (7). Si vi-

(1) Hard. in 1. Joan. 1. 2. & 3. p. 711. Idem in Evang. Joan. cap. 1. Adnot. ad v. 1. p. 149. Berr. 3. P. tom. 5. p. 154. & ſeq.

(2) Hard. in Epiſt. ad Rom. c. 5. v. 6. p. 559. In Epiſt. ad Gal. c. 4. v. 6. p. 559. in 1. Joan. c. 4. v. 15. p. 717. in 1. Pet. c. 4. v. 14. Berr. 3. P. tom. 3. p. 213. & t. 5. p. 104. Hard. in 1, Joann. c. 4. v. 26. p. 457. Adnot. ad v. 14. Joan. v. 13. p. 310. Adnot. ad v. 15. p. 311. Berr. 3. P. tom. 2. p. 187.

(3) Berr. 2. P. t. 8. p. 150. 154. 155. Nov. def. p. 109. 110.

(4) Hard. Comm. p. 248. 435. 444. Berr. 1. P. t. 1. p. 29. 30. 33. 34. 38. 2. P. t. 8. p. 233. 3. P. t. 1. p. 168. 221. 240.

(5) Berr. 3. P. t. 1. p. 130. 131. 219.

(6) Berr. 3. P. t. 1. p. 151. 168. 221. 240. &c.

(7) Hard. Comm. p. 452. col. 2.

Digitized by Google

tioſi ſumus, *id oritur tantum ex eo quod naturæ humanæ inſerimus vitia quæ in ſinu matrum non contraximus* (1).

2°. » Per unum hominem, ait Paulus, peccatum in hunc mundum » intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors per- » tranſiit, in quo omnes peccaverunt (2) «. At quidquid dicat Apoſtolus, cum Pelagianis & Socinianis contendunt *Harduinus* & *Berruyerius* non loqui Paulum de originali peccato, neque de illâ morte toti naturæ communi ac neceſſariâ, quæ peccati eſt ſtipendium, ſed de peccatis actualibus quorum rei fiunt homines ad exemplum Adæ, necnon de mortibus extraordinariis, ut diluvio, incendio Sodomæ, &c. in pœnas ſcelerum & hominum diſciplinam à Deo immiſſis (3).

Nec minus adulterant illud Apoſtoli dictum : *omnes in Adam moriuntur* (4), cujus ſenſus non eſt, juxta eos, omnes homines mori, *quia in Adam peccaverunt*, ſed *ideo morituros quod primus homo peccaverit* (5). Concilium Tridentinum (6), omniſque Eccleſia, de peccato originali ſemper intellexit alia hæc Apoſtoli verba : *Eramus naturâ filii iræ ſicut & cæteri* (7) : quia *peccante primo homine*, ait Auguſtinus (8), *vitium pro naturâ inolevit*. His autem Auctoribus videtur non agi in laudato Apoſtoli loco niſi de actualibus peccatis, aut *pravis conſuetudinibus in naturam quaſi converſis* (9).

3°. Innumera hæc cujuſcumque generis mala, quibus intùs foriſque torquemur, quorumque finis mors, ab Apoſtolo dicta *ſtipendium peccati* (10), quodammodo tractabile reddunt originale peccatum, licet humanæ mentis captum ſuperet. Illud autem argumentum nobis tollitur, dum Pelagianum illud inſtaurant, mala hæc humanæ naturæ eſſe annexa, *naturalemque eſſe hominis conditionem* (11).

4°. Non demonſtratur originale peccatum ex infantium baptiſmate. Inſtitutum eſt enim, aiunt fideles illi Pelagianorum aſſeclæ, ut ex minùs

(1) Berr. 2. P. t. 7. p. 305. 306.
(2) Rom. 5. 12.
(3) Hard. in cap. 5. Epiſt. ad Rom. Berr. 3. P. Obſerv. de hoc capite.
(4) 1. Cor. 15. 22.
(5) Berr. 3. P. t. 2. p. 392.
(6) Seſſ. 6. de Juſtif. c. 1.
(7) Eph. 2. 3.
(8) Tract. 44. in Joan. n. 1.
(9) Berr. 2. P. t. 3. p. 269.
(10) Rom. 6. 33.
(11) Berr. 2. P. t. 1. p. 16.

Digitized by Google

perfectâ ad perfectiorem vitam tranſeamus. Non ob delendum peccatum per ſe primò inſtitutum eſt (1) ; quamvis in Symbolo dicamus, *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Cum iiſdem hæreticis ſubjiciunt, neceſſarium quidem eſſe hoc Sacramentum ut in Eccleſiam Meſſiæ recipiamur, non verò ut intremus in Regnum cœlorum (2).

Filius *Dei qui non venit niſi quærere & ſalvum facere quod perierat*, ſicut adultorum, ita & parvulorum Salvator eſt. Infantes ergò concluduntur omnes ſub peccato. Sed cùm peccatum propriâ voluntate nullum poſſint admittere, neceſſe eſt ut originalis culpæ rei ſint. Atque ita Incarnatio Chriſti ejuſque mors pro omnibus hominibus, originalis & in omnes diffuſæ corruptionis indicium manifeſtum eſt, rurſùmque hæc corruptio Incarnati Redemptoris neceſſitatem probat. Sed horum utrumque deſtruunt *Harduinus & Berruyerius*, cum naturæ noſtræ depravationem ita extenuant & elevant, ut nulla prorsùs ſit. Ergo *gratis Chriſtus mortuus eſt* (3).

VII.

Incarnatio.

Quid docent novi iſti Magiſtri de Incarnationis Myſterio ? Quidquid hac de re docet fides, evertunt. Jeſus-Chriſtus jam non eſt Deus, Dei Filius à Patre miſſus, quando quidem *Pater in divinis* mittere Filium non poteſt (4). Non jam ipſum verbum æternum, *cum in formâ ac naturâ Dei eſſet ſemetipſum exinanivit formam ac naturam ſervi accipiens*, *habitavit in nobis* (5) ; ſed humiliat ſeſe natura humana facta Deus, atque æqualis Deo, & ad abjectiſſima quæque deſcendit (6). Jam non dicendum, Filius Dei caro factus eſt ; Filius enim Dei, ſecundum iſtos, ipſa eſt Chriſti humanitas : quod humanitas Chriſti homo facta fuerit, abſurdum hoc eſſet dictu. » Si diceret Joannes, Filius Dei factus eſt caro, dicere ex uſu loquendi » crederetur, *humanitas Chriſti*, ſive *Chriſtus homo* factus eſt homo. » Quod quàm ineptum ſit ... nemo eſt qui non ſentiat (7). Non ſtrictè

(1) Berr. 2. P. t. 2. Hard. Act. 2. 5.
(2) Hard. in Joan. 3. 5. Berr. 2. P. t. 2. p. 240. 241. 244.
(3) Gal. 2. 21.
(4) Nov. def. de Nancy. p. 204. Berr.
(5) Ad Philipp. 2. 7. Joan. 14.
(6) Berr. 2. P. t. 8. p. 25. 26. 27. 3. P. t. 3. p. 339. 340. Hard. Comm. p. 582. p. 289. &c. Berr. 2. P. t. 8. p. 26. 27. 3. P. t. 8. p. 339. 340.
(7) Berr. 1. P. t. 8. p. 105.

accipienda ſunt, Scripturæ verba dicentis : *Verbum caro factum eſt*, vel Verbum perſona Chriſti eſt : nam, ex Berruyerio *formalitas hæc ſive ratio conſiderandi Verbum præſcindit à proprietatibus perſonæ divinæ notionalibus attributiſque eſſentialibus* (1); id eſt, ut benè intelligas : in Chriſto Verbum non ut Deus, nec ſecunda Trinitatis perſona conſiderandum eſt, ſed ut vacuus ſonus, ac merum ens rationis. Chriſtus verè non eſt Verbum aut Dei Filius : *hujus enim perſonalis proprietatis communicatio impoſſibilis eſt* (2), ſed humanitas ipſa Chriſti perſona eſt, & tamen ſecunda de divinis perſonis (3) nuncupatur, ſive inferioris & ſecundi ordinis divina perſona, prout Deo arctiſſimè conjuncta, ſive Deum repræſentans (4). Hæc humanitas habet propriam ſibi ſubſiſtentiam & perſonalitatem quæ maximè deſignatur hac voce : *Ego* (5) ſola ſuas actiones ac paſſiones independenter à ſuâ cum Verbo unione producere tanquam principium completum poteſt(6). *Hæreticum eſt dicere hanc humanitatem à Verbo regi, determinari, gubernari, moveri* (7) : denique priùs donis ſupernaturalibus ſanctificata fuit quàm unita Verbo (8).

Quid hoc eſt, niſi clariſſimè aſſerere Chriſtum nihil aliud eſſe quàm merum hominem. Verbum quidem eſt, juxta illos, ſed proprietatibus perſonæ divinæ notionalibus attributiſque eſſentialibus caret. Filius Dei eſt, at non æternus, ſed *in tempore factus eſt Filius*. Ante mortem Filius fuit : per trium dierum mortem non fuit : in reſurrectione eſſe iterum cœpit. Æternam non habet à Deo generationem, ſed temporalem ab utero Virginis incœptam; nec Virgo jam Deipara. Ceſſavit generatio in tempore ſepulturæ. Exiens de ſepulchro iterum genitus eſt. Cùm æternus non eſſet, mundum creare non potuit, imò nec incarnationem ſuam operari : » neque enim Chriſtus qui non erat ante unionem, & qui poſt » unionem factus eſt, poteſt dici divinam unionem operatum eſſe (9). « Nomen Dei fert, at Deus factitius. Divinis attributis, ac primò æternitate caret : *ante Incarnationem ſuam non erat, niſi promiſſus & prædeſtina-*

(1) Berr. 2. P. t. 8. p. 6. 30.
(2) Nov. def. p. 100.
(3) Hard. Comm. in Joan. 1. 18. p. 252. ibid. ad v. 18. *qui eſt in ſinu Patris.*
(4) Hard. in Rom. 1. 4. Berr. 2. P. t. 8. p. 109. 110.
(5) Berr. def. p. 44.
(6) Hard. Comm. p. 248. 249. Berr. 2. P. t. 8. p. 2. 97. &c. Def. p. 36.
(7) Berr. def. p. 19. 20. 64. 65.
(8) Berr. 2. P. t. 8. quæſt. 2. p. 56. &c. 73. 161. Hard. in Act. 2. Adnot. ad v. 15.
(9) Berr. def. p. 202.

tus ut Filius Dei fieret (1) : ſed ex quo Deus cœpit eſſe, ſemper in hoc gradu honoris permanebit (2). Immenſitatem non habet (3); ſcientiam divinam non habet, ſed neſcio quam ſcientiam creatam, infuſam, & ita finitam, ut dies illa & hora judicii noviſſimi & everſionis Hieroſolimitanæ non fuerit ei cognita. Creator non eſt (4), nihil per ipſum factum eſt : ſed mundus & ſæcula, hoc eſt, ut aiunt, Synagoga & Reſpublica Judæorum *propter ipſum & intuitu ipſius* facta ſunt (5). Propriâ virtute miracula operandi poteſtatem non habet, ſed ea precibus à Deo elicit; *eo unicè ſenſu dicitur Jeſus-Chriſtus miraculorum effector.* (6). Sanctificare non valet animas per ſuam operationem, ſed tantum gratiam meritis ſuis obtinet (7); & *eo unicè ſenſu dicitur in Scripturis Jeſus-Chriſtus Sacramentorum inſtitutor* (8). Denique Chriſtus non habet divinam operationem, ergò nec naturam. Merus homo eſt (9).

VIII.

Redemptio.

Talis Salvator noſter eſt, juxta utrumque Scriptorem. Quod ſi, ut ex eorum blaſphemiis patet, Chriſti expiatio infiniti pretii non fuit (10); manifeſtum eſt totum corruere Redemptionis ædificium. Quid verò, ſi Chriſtus, ut iſti contendunt, concupiſcentiæ obnoxius fuit? Cujus motus, etſi refrænabantur, in eo tamen, ipſo invito, recalcitrabant. Si magno animo vitia reprimebat, attamen non ſine vi ac pugnâ. Aliquandò anima ejus ſcindebatur ac dilacerabatur duobus deſideriis ſibi invicem adverſantibus (11). Quid ſi impeccabilis non fuit, ſi à peccato non abſtrahebatur niſi ſerie gratiarum *electarum* quæ peccandi nunquam

(1) Berr. 2. P. t. 8. p. 71. 72. Def. p. 202.
(2) Hard. adnot. in Joan. 3. 13. & paraph. p. 246. col. 2. Berr. 2. P. t. 2. l. 3. p. 246. 247. 248.
(3) Berr. 2. P. t. 8. p. 256. 257. 258. 261. t. 3. p. 139.
(4) Hard. Comm. p. 265. 310. 585. Berr. 2. P. t. 2. p. 237. 255. t. 5. p. 21. 22. t. 8. p. 147. 148. Def. p. 58. 59.
(5) Berr. 2. P. t. 8. p. 123. 135. 136. 3. P. t. 3. p. 375. Def. p. 29. Nov. Def. p. 29. Hard. Comm. p. 646. 591. 592.
(6) Berr. 2. P. t. 8. p. 13. 14.
(7) Berr. 2. P. t. 3. p. 25.
(8) Berr. 2. P. t. 8. p. 16. 17. t. 5. p. 193.
(9) Ibid. p. 22. 23. 29. 97. Def. p. 3. 101.
(10) Berr. 2. P. t. 8. p. 17. 18.
(11) Berr. 3. P. t. 1. p. 238. 2. P. t. 2. p. 142. t. 5. p. 250.

Digitized by Google

poteſtatem tollebant (1). Si prævidit Deus Chriſtum non peccaturum; prævidit peccandi facultatem habiturum, & reipsà peccaturum fuiſſe, niſi talibus gratiis fuiſſet adjutus.

Adde etiam, Jeſum-Chriſtum, pro hominibus juſtitiæ divinæ ſatisfaciendo, exolviſſe tantum *debitum pœnale*, quod, juxta præfatos Auctores, ſuâ humanâ nativitate contraxerat, & *præceptum naturale* impleſſe *in rigore juſtitiæ* fundatum (2): ex quo ſequitur, Chriſti ſatisfactionem non liberam & gratuitam, ſed neceſſariam, & non ex indebitis; & idcircò incompletam nec perfectam fuiſſe.

Ex his videre eſt, 1°. quomodo ſatisfactionis Chriſti naturam & eſſentiam peſſumdent.

2°. Ejuſdem neceſſitatem evertunt, ſive cùm originalem culpam ad nihilum reducunt, ſive cùm homines per legem naturalem ſine fide in Chriſtum ſalvos fieri poſſe contendunt.

3°. Redemptionis realitatem annihilant, cùm docent Religionis effectum non eſſe homines Juſtos facere, ſed tantum perfectiorem, Deo digniorem nobilioremque cultum inſtituere, revelatarum veritatum fidem, Religioni, ut aiunt, naturali ſuperaddendo ſine ullâ neceſſitate, ſed tantum ad magnificentiam cultûs, operiſque divini perfectionem (3).

4°. Univerſalitatem Redemptionis deſtruunt, cùm aſſerunt Chriſtum pro nullo mortuum eſſe eorum qui ante ejus adventum vixerunt; ſed tantum ob id paſſum eſſe Chriſtum, ut poſt ipſum venturis magna præberentur ad ſalutem adjumenta (4).

5°. Proprium & immediatum Redemptionis effectum, id eſt, Chriſti de diabolo victoriam delent. Quod ſancta dicit Scriptura: *Chriſtus per Crucem ſuam expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo* (5), & his ſimilia, quid hæc ſignificant? non inferni Poteſtates, ut iſti reſpondent, ſed temporales Synagogæ & Gentilitatis Principatus, quorum Chriſtus ablatam auctoritatem ſeipſum induit (6).

(1) Berr. Def. p. 47. 48. 49.
(2) Berr. 2. P. t. 8. p. 204. 205. Nov. def. de Nancy. p. 154.
(3) Berr. 2. P. t. 1. p. 242. 243. 244. 248. 249.
(4) Berr. 2. P. t. 1. p. 126. t. 8. p. 239. 240. 3. P. t. 4. p. 235.
(5) Coloſſ. 2. 15.
(6) Hard. in Joan. 12. 31. 32. in 14. 30. in Eph. 1. 20. 21. in Coloſſ. 2. Berr. 2. P. tom. 4. p. 312. 313. t. 5. p. 291. 3. P. t. 3. p. 389. 390.

Talis

Talis eſt, juxta illos, inclytus ille Chriſti triumphus ex quo liberationis noſtræ fons depromitur.

IX.

Gratia Redemptionis fructus.

Denique pretioſum Chriſti Redemptionis fructum diſſipant *Harduinus & Berruyerius*, Eccleſiæ de gratiâ doctrinam Pelagianis ſuis erroribus abnegàndo; cujus gratiæ cùm naturam ignorent, neceſſitatem ejus prorſùs tollunt, necnon vim & gratuitatem.

1°. Gratiâ quam ad ſingulos actus noſtros neceſſariam eſſe ſtatuerunt Concilia, ſecundum novos Doctores, non egemus. Jam vidimus quomodò ante Chriſti adventum & mortem, ſine Mediatoris auxilio ejuſque meritorum applicatione, Juſti veteres Deo placuerint: *ex lege naturali*, id eſt, ex naturâ ipsâ Religionis affectus, *fidei*, *ſpei*, *caritatis ſpiritum*, in quibus omnes virtutes continentur, haurientes.

2°. Dant eandem quam Pelagius de gratiâ Chriſti notionem: talem eam confingentes gratiam quæ doctrinâ & exemplis (1), miraculorum aſpectu (2), prædicationibus (3), Dei animadverſionibus (4), lumine mentibus affulgente (5), motibus intùs ad bonum hortantibus & invitantibus (6) tantummodò conſtat. Ex quo fit ut veluti *errorem vulgarem*, *ſed magnum certè* habeant, ſiquis Spiritum Sanctum *Conſolatorem* vocet: quia illud vocabulum efficacem operationem exprimit; ſed *adhortatorem* tantum dici præcipiunt (7). Cum his gratiis tam exiguis tantæ ſunt liberi arbitrii vires, ut per eas ſine peccato, nec veniali quidem, homo in hâc vita eſſe poſſit, & reipsâ multi reperiantur Chriſtiani ab omni prorſùs peccato alieni (8), quo quidem errore tenebantur Pelagiani.

3°. Non ſolùm gratiam per ſe efficacem quæ *velle & perficere in nobis*

(1) Hard. Præf. in Epiſt. ad Rom. p. 429. in 6. Joan. 37. 39. in 17. 2. 6. 9. Berr. 2. P. t. 3. p. 141. 142. 145. 3. P. t. 4. p. 396.
(2) Hard. in Joan. 15. 24. Berr. 2. P. t. 3. p. 145. 146. t. 4. p. 89.
(3) Berr. 1. P. t. 5. p. 354. 2. P. t. 2. p. 214. 229. 272. 273. 277. 278.
(4) Berr. 1. P, t. 5. p. 148.
(5) Hard. in Joan. 15. 2. p. 307. Berr. 2. P. t. 5. p. 197.
(6) Hard. Digreſſ. de prædeſtin. p. 465. in 1. Cor. 1. 4.
(7) Hard. in Joan. 14. 16.
(8) Hard. in Philipp. 4. 8. in Coloſſ. 1. 10. in Eph. 5. 27. p. 574. in 1. Epiſt. Joan. 1. 8. p. 711. Berr. 3. P. t. 5. p. 159.

Digitized by Google

operatur, non admittunt, verùm etiam in *hæreticorum* numerum eos referunt, quicumque hanc gratiam per ſe efficacem defendunt, gratiamque verſatilem veluti unicam Eccleſiæ doctrinam oſtentant (1). Iſtâ verò gratiâ quam vocant *ſufficientem*, ſummus ut arbiter utitur homo, ſicut & eâ gratiâ quam vocant *gratiam electam* (*grace de choix*) ſive efficacem, eo ſcilicet ſenſu, quod Deus eam largitur prævidens hominem ſubitâ voluntate eam efficacem redditurum. Sed hæc electa gratia ad bonum operandum neceſſaria non eſt : ad hoc ſatis eſt ſola gratia ſufficiens, quia electa gratia non datur niſi his qui ad eam obtinendam benè uſi fuerint ſufficiente, cùm è contrariò electa gratia alteram electam gratiam mereri non poſſit. Et ſapienter quidèm Doctores iſti hæc ita ordinaverunt; alioquin electa gratia ſemel conceſſa quam infallibilis ſequitur effectus, neceſſe eſſet ut hæc prima ſecundam, ſecunda tertiam, tertiaque conſequenter omnes uſque ad finalem perſeverantiam attraheret : ac per hoc de æternâ hominum ſorte, quod iſti abhorrent, Deus ſtatueret (2). Omnis gratia liberi arbitrii ludibrium eſt, nec ſatis potens Deus eſt in movendis hominum voluntatibus, ut eas, illæſâ libertate, ad id amandum quod vult perducat. *Sapientia Dei nullam ei viam ſuppeditat* eos *ſervandi*, *qui* quamvis potenter adjuti *perire malunt* (3). Omni induſtriâ tentante Deo, ut Pharaonem *ad agnitionem veritatis* adduceret, ſemper adverſus Deum *incaſſum luctantem* cor ſuum obduravit Pharao (4). *Judam Jeſus miſſum fecit*, *cùm eum ad ſe convertere fruſtrà tentaſſet* (5).

4°. Gratiæ qualitas ſpecialis ac præcipua, ut verbum ſonat, eſt ejus *gratuitas ;* gratuitas autem omne debitum excludit; quam proprietatem, ſicut & cæteras ambo Scriptores oppugnant. Si gratiæ generales, quas ſufficientes vocant, nullo hominis merito præceduntur, nihilominùs contendunt nobis *eas debere Deum*, illudque *eſſe dogma catholicum* (6). Sed *gratiæ electæ* quarum Deus effectum ab homine proventurum prævidit, hæ ſemper præcedentis meriti mercedes ſunt. Semper gratia, vel omnium prima, meritis datur, veluti fidei gratia, quæ janua ſalutis

(1) Hard. Digreſſ. de prædeſt. p. 461. col. 2. 462. col. 1. in 2. Cor. 6. 1.
(2) Hard. Digreſſ. de præd. p. 459. 460. 461. 462. 465.
(3) Berr. 1. P. t. 1. p. 58. 59. 60. t. 2. p. 73. t. 3. p. 2. 2. P. t. 5. p. 88. 161.
(4) Berr. 1. P. t. 2. l. 2. p. 73. 74.
(5) Berr. 2. P. t. 5. l. 12. p. 161.
(6) Hard. in Luc. 15. 12.

eſt:(1) vel etiam in parvulis Baptiſmi gratia, quam ſi ipſi obtinere non potuerunt, hanc pro eis impetravere vel eorum parentes, vel alii fideles. Quod ad infantes attinet qui ſine Baptiſmo moriuntur, prævidit Deus eos propter nequiſſimam vitam, ſi fortè ad maturam ætatem perveniſſent, æternis ſuppliciis fore damnandos; atque ita eos à mundo & à peccato eruens, miſericorditer agit, ſæpè ad remunerandam parentum pietatem (2). Hac miſericordiâ Deus aliquandò ad aliquos Populos Evangelii præcones non mittit, prævidens neminem ex eis fidem apprehenſurum (3). Si Chriſtus apud Tyrios & Sydonios miracula non fecit, ex quibus in ipſum credituri fuiſſent, id factum eſt quod poſt pœnitentiam eos in fide non permanſuros noverat (4). Eximium finalis perſeverantiæ donum, nec ipſum gratuitum eſt: illud enim humana merita ſemper præcedunt (5).

Inter gratiam & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, ut ait S. Auguſtinus (6), quod *prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.* Ergò ſi hæc gratuita eſt, altera quoque erit. Quod ſi autem gratia meritis donatur, impoſſibile eſt ordinationem Dei ad gratiam eſſe gratuitam: ſicque evaneſcit Sanctorum prædeſtinatio gratuita. Hæc ſuis principiis *Harduinus* & *Berruyerius* contendunt; nuſquam, nec in B. Pauli Epiſtolis, nec in toto novo Teſtamento agi de electorum quorumdam ad æternam gloriam prædeſtinatione, ante meritorum prævifionem factâ, ſed tantum de ordinatione ad gloriam ex prævisis meritis conſequente (7). Prædeſtinatos quoque de quibus agit Scriptura, non alios eſſe quàm Chriſtianos omnes qui *propter fidem ſuam* digni habiti ſunt qui Eccleſiam Chriſti componerent, *quique dummodo perſeverare velint*, ad vitam æternam præordinati ſunt (8). Sic Scripturas interpretantur Sociniani, qui nullam

(1) Hard. Digreſſ. de præd. p. 460. 462. in Act. 13. 48. in Joan. 6. 44. in 1. Tim. 12. & 13. Berr. 2. P. t. 6. p. 349. 3. P. t. 3. p. 270.
(2) Hard. Digreſſ. de præd. p. 462. 463.
(3) Hard. ibid. p. 464.
(4) Hard. ibid.
(5) Hard. ibid. p. 462. 464. 465.
(6) L. de præd. SS. c. 10.
(7) Hard. ibid. p. 458. Berr. 2. P. t. 8. p. 2. 31. 3. P. t. 1. p. 29.
(8) Hard. Præf. in Epiſt. ad Rom. p. 428. 429. Digreſſ. de præd. p. 464. Berr. 2. P. t. 8. 230. 231. 3. P. t. 1. p. 30. 284. 286. Nov. Def. p. 75. Hard. in Matth. 20. 16. 22. 14. Præf. in Epiſt. ad Rom. p. 429. in 2. Tim. 2. 10. 1. in 1. Pet. 1. in Apocal. 17. 14. &c. Berr. 2. P. t. 4. p. 228. &c. t. 5. p. 32. 3. P. t. 1. p. 20. t. 2. p. 12. 14. 15. t. 4. p. 148. 172. Nov. Def. p. 75.

prædeſtinationem niſi eam quæ ſine myſterio eſt, admittunt (1).

Sed Scriptores iſti eò uſque pervadunt ut prædeſtinationem Chriſti, quæ noſtræ prædeſtinationis exemplar & cauſa eſt, gratuitam eſſe negent. Conveniens erat, juxta hos Novatores, ut Deus Chriſti humanitatem ſibi præ omnibus cœteris in Filium aſſumeret, eò quod Jeſus jure nativitatis humanæ primogenitus eſſet ex omnibus, & hoc nomine *Rex* totius terræ, *Chriſtus*, *Meſſias*, *Pontifex* & *Mediator hominum* (2). Sed cum primogeniti titulus cœteris qui ipſum anteceſſerant communis eſſet, Chriſtus ideò præ cœteris his primogenitis electus eſt, quod à Deo prævidebatur Meſſiæ Mediatoriſque ſublimia munera aptiùs impleturus (3).

Denique illud dogma catholicum gratuitæ Prædeſtinationis & ante ulla præviſa merita, quod ex Bellarmino, poſt SS. Auguſtinum, Fulgentium, &c. *non quorumdam Doctorum opinio, ſed ut fides Eccleſiæ catholicæ dici debet* (4), non tantum impugnant *Harduinus & Berruyerius*, ſed inter hæreſes impudenter adſcribunt.

X.

Moralis.

Chriſti gratia cùm ſit bonorum ac virtutum omnium fons & origo, fieri nequit ut doctrina de gratiâ in doctrinam morum non influat; utque errores circà illam, plures circa hanc errores non gignant. Quod ſi una ex his doctrinis homini revelat naturæ ſuæ corruptionem, voluntatis à Deo derelictæ imbecillitatem, Dei gratiæ ad ſingulos actus bonos neceſſitatem; exinde inſpirat virium humanarum diffidentiam, ſalutarem humilitatem, ſpei & in divinam miſericordiam confidentiæ ſanctos affectus, gemitus denique orationis, amoris, gratitudiniſque ſpiritum; altera è contrariò doctrina quæ vires hominis exaltat, neceſſariò præſumptionem, ingrati animi ſenſum, duritiam ſuperbiamque in ejus corde nutrit; inopiæ, indignitatis, perpetuæ erga Deum dependentiæ ſenſum eradicat, orationis & gratiarum actionis ſpiritum extinguit; & in veræ juſtitiæ locum, phariſaïcæ juſtitiæ larvam ſupponens, de anguſtâ cœli ſemitâ in ſpatioſam infernalis abyſſi viam miſerum abducit.

(1) Hard. Digreſſ. de præd. p. 464. Berr. 2. P. Præf. p. 17. 18.
(2) Hard. in Joan. 1. 51. Comm. p. 38. 169. 255. Berr. 2. P. t. 8. p. 181. 189. 202.
(3) Hard. Comm. p. 255. 256. Berr. 2. P. t. 8. p. 188. 189.
(4) Bellarmin. l. 2. de gratiâ & lib. arb. c. 11.

Nequè ſolum per præfatos Auctores intima ſanctitatis pietatiſque ſemina ſuffocantur, actus etiam morales per alia principia prorſùs attenuant. Nam primo ictu *legem æternam* ſubvertunt, quæ prima eſt & ſuprema morum regula, cùm negant eſſe *veritates æternas*, immutabiles, *ab omni inſtitutione independentes* (1). Deindè per ignorantiam admiſſa peccata excuſantes, ab omni legis vinculo homines liberant: nullum peccatum, niſi cùm contra conſcientiam agitur, admittunt, nullas virtutis actiones, niſi quas conſcientia probat, ſive ſit, ſive non ſit ſecundum legem ordinata (2). Quas laxas vitiis habenas permittunt, ſub bonæ intentionis prætextû, peccata excuſando teterrima (3)! Nec minùs labefactatur magnum illud & primum legis principium, amoris Dei & Proximi præceptum, quod ſummis viribus ſummoque niſu oppugnant. Sed dùm illud præceptum ita conſtringunt, æffrenam vagari permittunt concupiſcentiam, ſeu allegando *non omnes concupiſcentiæ motus pravos eſſe* (4), ſeu per mendacium impudentiſſimum, aſſerendo non damnare Chriſtum in terreſtria bona propenſionem, ſed tantùm hujus propenſionis *nimiam vim*, *nimiam in temporalibus bonis* præ ſpiritualibus *curam & ſollicitudinem* (5). Addunt etiam Chriſtum *magnificas epulas profuſioneſque* bonorum non culpaſſe (6). Denique *ipſum voluptatibus quas non damnabat*, *interfuiſſe* (7). Immanem Filiorum Jacob in Sichimitas vindictam audacter laudant, aſſeruntque, contra Scripturæ teſtimonium (8), de hac nefariâ ſtrage eos approbatos à ſancto Patriarchâ fuiſſe (9). Quid, quòd Saülem de ſuicidio laudant! mendacium, ſi ipſis credere fas eſt, peccatum non eſt, quoties deceptus decipientem ſuſpectum habere potuit (10). Deniquè peccatoribus ſalutis januam occludunt cùm eis falſam pro verâ converſionem proponunt; dùm *tanquam ſinceras ac ſolidè fundatas* converſiones, *tanquam cælo ac Deo*

(1) Berr. 2. P. t. 1. p. 30. 31. 32.
(2) Berr. 1. P. t. 3. p. 210. 2. P. t. 3. p. 373. 3. P. t. 1. p. 167. 224. 225. t. 4. 53. t. 5. p. 175.
(3) Berr. 1. P. t. 1. p. 107. &c. t. 2. p. 13.
(4) Berr. 3. P. t. 1. p. 240.
(5) Berr. 2. P. t. 2. p. 345. 347. t. 4. p. 252.
(6) Berr. 2. P. t. 2. p. 402. t. 4. p. 286.
(7) Berr. 2. P. t. 2. p. 220.
(8) Gen. 34. 30. & 49. 5. 6. 7.
(9) Berr. 1. P. t. 1. p. 288. 294. 295. *in-4°.*
(10) Berr. 1. P. t. 2. p. 13. t. 3. p. 10. t. 5. p. 274. 275.

digna ſpectacula jactitant neſcio quæ pœnitentiæ phantaſmata, quæ proximè ſequuntur graviſſimi relapſus, velut, verbi gratiâ, idololatria (1). Tam ignavæ pravitatis B. Paulum conſcium monſtrare conantur, dùm contendunt Apoſtolum inflictam inceſtuoſo Corinthio pœnitentiam, quaſi nimis longam non probaſſe; ac *quodammodò voluiſſe* Corinthiorum *Eccleſiam ſeveritatis ſuæ pœnitere* (2). Sic ſacram Scripturam ad ſententiam ſuam adducentes miſerè diſtrahunt ac lacerant.

Nota. *His præmiſſis, Reverendiſſimus Daventrienſis Epiſcopus perlegit atque ſanctæ Synodo obtulit quoſdam ex præcipuis* Harduini *&* Berruyerii *textibus ſuâ in Relatione recenſitis: & addidit.*

In tantâ blaſphemiarum diluvie, quis non ſæpiùs exhorruit in hac ſanctâ Synodo? Quis Patrum aures ſuas obturare non voluiſſet? Corrumpunt bonos mores colloquia mala, ait Apoſtolus. In mentem ideò Deputatorum venit ut

1°. Horrendo huic ſcandalo ſummatim opponere dignetur Synodus certam ac ſanctam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam quâ tam pravi errantium niſus invictè in ejus ſinu quotidie retunduntur.

2°. Ut poſthac commendet Synodus præcipua Paſtorum documenta quibus, præſertim in Galliâ, victrix emicuit veritas; notiſſimum nempè & manibus noſtris verſatiſſimum illuſtriſſimi Epiſcopi Sueſſionenſis opus, quod invictum, noſtris temporibus, Eccleſiæ propugnaculum eſt, & poſteris erit pretioſiſſimum. Eximium etiam illuſtriſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis documentum paſtorale, recens opus, & certè dignum quod vetuſtiſſimæ illius nobiliſſimæque apud Deum & homines Eccleſiæ venerabilem futuris ſæculis exhibeat traditionem; doctiſſimam denique ſacræ Facultatis Pariſienſis Cenſuræ primam partem Catholicis Theologis gratiſſimam.

3°. Ut tandem diſponatur Decretum, concludendo paucis ſolemnem abſolutamque damnationem operis *Berruyerii*, quod ab Eminentiſſimo *Migazzi*, Archiepiſcopo Vindebonenſi, tam aptè in Decreto Paſtorali die 3 Julii dictum fuit *opus impium & ſceleſtum;* ſimulque & *Harduini*, quibus operibus eſſent præcipua fidei myſteria penitùs deſtructa, & tota Religio Chriſtiana funditùs everſa.

(1) Berr. 1. P. t. 3. p. 321.
(2) Berr. 3. P. t. 3. p. 20. 27. 29. 30.

Digitized by Google

DECRETUM VIII.

Ad hos innumeros ac monſtruoſos errores *Harduini & Berruyerii*, qui ſacro huic Cœtui denuntiati ſunt, retundendos, declarat ſancta Synodus juxta catholicam & apoſtolicam fidem :

I.

Eſſe in uno ac vero Deo tres perſonas conſubſtantiales & coæternas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum : quod eſt adorandum ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium.

I I.

Filium Dei eſſe Verbum Patri coæternum : & hoc Verbum Filium Patris non eſſe merum decretum ab æterno in mente divinâ conceptum producendi Filium in tempore : nec Spiritum Sanctum eſſe virtutem ac efficientiam divinam, vel dona ſpiritualia hominibus collata ; ſed Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tres eſſe Perſonas inter ſe verè ac realiter diſtinctas, *non* quidem *naturis, ſed proprietatibus* (1), non ſolâ denominatione, ſed verâ quæ ſingulis competit hypoſtaſi, ſeu ſubſiſtentiâ.

I I I.

Patrem æternum ab æterno gignere Filium ſibi conſubſtantialem ; & Spiritum Sanctum Patri & Filio conſubſtantialem ab utroque *procedere tanquam ab uno principio & unicâ ſpiratione* (2) ; ita ut non confuſis perſonis, neque ſubſtantiâ ſeparatâ, Patris, Filii & Spiritus Sancti una ſit divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.

(1) S. Greg. Naz.
(2) Concil. Florent. in formulâ unionis.

Digitized by Google

I V.

Filium Dei, ſecundam in Trinitate perſonam, corpus & animam aſſumpſiſſe in caſtiſſimo Virginis Mariæ ſinu, operante Spiritu Sancto: ac poſt hanc carnis aſſumptionem Deum eſſe ſimul & hominem Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, ab æterno *Deum verum de Deo vero, lumen de lumine* (1); hominem verò in tempore; quâ unione ineffabili in unâ eâdemque perſonâ, quæ eſt perſona Filii æterni & conſubſtantialis Dei, naturam divinam & humanam hypoſtaticè conjunxit.

V.

Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum nec eſſe purum hominem, nec hominem à ſolo & vero Deo Filium Dei ac Deum ipſum factum in tempore; ſed eſſe Filium æternum æterni Patris, *genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem* (& non propter quem aut cujus intuitu) *omnia facta ſunt* (2): qui cùm habeat naturam Dei ac perfectam cum Patre æqualitatem, *ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens* (3), *ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi Populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum* (4).

V I.

Humanitatem Chriſti à Verbo in omnibus efficaciſſimè regi, dirigi ac determinari. Et cùm habeat Chriſtus Filius Dei eandem naturam cum Patre & Spiritu ſancto, eandem habet æternitatem, eandem ſcientiam infinitam, eandem omnipotentiam, eandem operationem; ita ut cùm miracula patravit, ſuâ vir-

(1) Symb. Conſtantinop.
(2) Symb. Conſtantinop.
(3) Ad Philipp. 2. 7.
(4) Ad Tit. 2. 14.

tute

tute ea operata fuerit, non prece tantum & poſtulatione obtinuerit. Cùm gratiam infundit, non eam tantum infundat tanquam cauſa moralis & meritoria, ſed etiam tanquam cauſa phyſica & efficiens.

VII.

Omnem Adami poſteritatem in eo peccaſſe, & homines hoc peccato originali non ſolum ſanctitate & juſtitiâ orbari, ſed etiam vero ac propriè dicto peccato inquinatos eſſe & factos *filios iræ* (1) & vindictæ. Unde illud graviſſimum jugum impoſitum ſuper filios Adam (2), nempè, ignorantia, concupiſcentia, ærumnæ, morbi, mors ipſa, quæ non magis pœnæ ſunt ac ſupplicia, quàm evidentiſſima hujus peccati originalis teſtimonia.

VIII.

Jeſum-Chriſtum ex propriis & ex indebitis, tam pro peccato originali quàm pro omnibus aliis à filiis Adam ſuperadditis, doloribus ac morte ſuâ verè & ſuperabundè ſatisfeciſſe. Quæ cùm ſint paſſiones & dolores Dei ipſius incarnati, infiniti ſunt valoris & pretii; eundemque Deum incarnatum Redemptorem eſſe non tantum hominum qui poſt ejus incarnationem nati ſunt, ſed & eorum qui ejus adventum præceſſerunt: uno verbo, pro omnibus hominibus ſanguinem fudiſſe.

IX.

Neque per legem naturalem, neque etiam per legem Moſaïcam, ullum unquam hominum juſtificatum fuiſſe, aut etiamnùm poſſe juſtificari; ſed tantùm per fidem in Jeſum-Chriſtum, unicum Mediatorem Dei & hominum; cujus ſanguine & me-

(1) Ad Eph. 2. 3.
(2) Eccli. 40. 1.

ritis omnes Juſti tàm veteris quàm novi Teſtamenti remiſſionem peccatorum, veram filiorum adoptionem & gratiam, ad implenda divina mandata requiſitam, acceperunt.

X.

Hanc gratiam abſolutè neceſſariam ſive ad inchoandum bonum, ſive ad proficiendum & uſque in finem in juſtitiâ perſeverandum, eſſe omninò gratuitam, nec ullis humanis obtineri poſſe meritis : eandemque gratiam non tantum in adhortationibus, exemplis, & excitationibus externis aut internis poſitam eſſe, ſed in *inſpiratione dilectionis quâ cognita ſancto amore faciamus* (1). *Deus eſt enim* qui, abſque libertatis humanæ detrimento, *operatur* in nobis *velle & perficere pro bonâ voluntate* (2). Similiter prædeſtinationem Sanctorum ad gloriam, cujus exemplar eximium eſt ipſamet Chriſti capitis noſtri prædeſtinatio, prorsùs eſſe gratuitam, & ante præviſa merita : doctrinam certiſſimam quam Sancti Patres ad fidem catholicam pertinere teſtantur (3).

X I.

Eſſe legem æternam & incommutabilem quæ eſt *ipſamet voluntas divina ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans* (4), quamque Deus indelebili caractere in mentibus hominum inſcripſit : quidquid liberè fit contrà hanc morum regulam invariabilem, ſive per ignorantiam, ſive per inadvertentiam & oblivionem, ſive per conſcientiam erroneam, ſubjacere peccato. Tandem concupiſcentiam, quæ eſt à peccato & in peccatum inclinat, (etſi non ſit peccatum, niſi ei

(1) S. Aug. l. 4. cont. 2. Epiſt. Pelag. n. 11.
(2) Ad Philipp. 2. 13.
(3) S. Aug. l. de dono perſev. n. 48. &c.
(4) S. Aug. l. 19. de Civit. Dei. c. 15.

Digitized by Google

conſentiatur) ac omnes ejus motus, per ſe malos eſſe ac inordinatos : proindè totam vitam chriſtianam in eo ſiſtere ut cupiditatem eradicemus, & toto pectore nitamur in adimplendo caritatis præcepto, quo tenemur diligere Deum ex totâ mente, ex toto corde, ex totis viribus, & omnes noſtras actiones ad eum, tanquam ad finem ultimum, referre.

X I I.

Regulam fidei eſſe verbum Dei revelatum, in ſacris Scripturis exaratum, aut continuâ ſucceſſione Traditionis ad nos uſque perductum ; cujus verbi Dei revelati interpres infallibilis & cuſtos incorrupta eſt ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Quibus expoſitis damnat ſancta Synodus *Harduini & Berruyerii*, Jeſuitarum, doctrinam omnibus his catholicis dogmatibus oppoſitam, nec-non & alios eorum errores, hæreſes, blaſphemias, novaſque & falſas ſacrarum Scripturarum interpretationes, quæ omnia hìc enumerare longiùs eſſet, quæque in propatulo poſita, fortiter refutantur in Paſtorali Documento Illuſtriſſimi Epiſcopi Sueſſionenſis, dato die primâ Auguſti anno 1759, & in alio Documento Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis, dato die vigeſimâ quartâ Decembris anno 1762, quæ adoptamus ; hortamurque omnes in hac Eccleſiâ curam animarum habentes, & cœteros Clericos, ut hæc præclara Eccleſiæ monumenta, nec-non primam partem Cenſuræ Sacræ Facultatis Pariſienſis anni 1762 accuratiùs evolvant, nihilque negligant, ut Fideles quibus præſunt, muniantur ab innumeris erroribus qui in deteſtandis & impiis *Harduini & Berruyerii* libris perfunduntur : qui libri plures ex antiquis hæreſibus plus minuſve renovant, quales ſunt Sabellii, Arii, Neſtorii, Mo-

nothelitarum, Pelagii, & his ultimis temporibus Socinianorum; quique ad nihil aliud tendunt quàm ut callidis artibus præcipua fidei myſteria deſtruant, totamque Chriſtianam Religionem funditùs evertant.

REQUISITIO

D. Procuratoris ſanctæ Synodi, circa errores Jeſuitarum Pichonii, &c. de diſpoſitionibus ad Sacramenta requiſitis.

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

JAM ſacræ Synodo innumeros *Harduini* & *Berruyerii* errores denuntiavimus, ſed & alii ſunt non minus pernicioſi à vobis damnandi, quos temerariè proferre non erubuit *Pichonius*, alter Jeſuita, in libro cui titulus: *l'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe ſur la fréquente Communion*, in quo everſis omnibus regulis in adminiſtratione Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſervandis, laxiorem doctrinam ſubſtituit, delictorum confeſſionem ludum verſatilem facit, Communionem tanquam efficax ac præſens peccati, cujuſcunque ſit naturæ & gravitatis, remedium indicat: quam deteſtabilem doctrinam inſectatus damnavit illuſtriſſimus Archiepiſcopus Turonenſis, quem ſecuti pariter damnarunt pluſquam viginti alii Galliæ Epiſcopi, quorum veſtigiis inſiſtere peculiari ratione tenemur.

Similes vel eoſdem errores inimicus homo in agro Dominico Eccleſiæ Batavæ jam diù ſeminavit per Catechiſmum cui titulus: *Onderwys voor de eerſte Communie, dat is de geeſtelyke bruyloft van de Jonge Kinderen, gemaeckte door een Prieſter van de Societeyt Jeſu, &c.* pluries quidem tùm in Provinciis Catholicis vicinis, tùm in hac noſtrâ Patriâ impreſſum & editum. Quinque hujus operis editiones novimus, quorum ultima typis expreſſa eſt Amſtelodami apud *Joannem Stichter in de Kalverſtraat*, anno 1695. Etiamſi jam à pluribus annis Clerus noſter venenum iſtius Catechiſmi patefecerit, publicis Scriptis refutaverit, atque à Fidelium manibus eripuerit; etiamſi Romæ fuerit condemnatus per Decretum 17

Januarii 1703 ; attamen nullomodo dubitandum eſt quin ſit adhuc in plurimorum Fidelium manibus ; ejuſque laxiora ac perniciosa principia tanquam norma ſeu regula morum in praxi habeantur.

Quam dudum enim lugemus per Sacerdotes qui Epiſcopos ſuos non agnoſcunt, irritam dari falſis Pœnitentibus pacem, & ad ſacroſancti Corporis Chriſti participationem, etiamſi ſancta nonniſi Sanctis debeantur, quoſque corruptiſſimos admitti. Unde Sancti Caroli documenta tam ſancta tamque hoc tempore neceſſaria monita ſapientiſſima ex viſceribus antiquiſſimæ diſciplinæ & ſanioris doctrinæ arcanis, aut potiùs ex ipsâ Sacramenti Pœnitentiæ naturâ deprompta renovari Eccleſiæ noſtræ decor poſtulare videtur.

RELATIO IX.

De erroribus Jeſuitarum Pichonii, &c. circa diſpoſitiones ad Sacramenta ſuſcipienda.

D. FRANCISCUS DE HAAN, ad Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum Rotterodami Paſtor vigilantiſſimus, votum tertiæ Congregationis exponens, dixit :

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

A Synodo Provinciam accepimus diſcutiendi errores laxaſque opiniones, quæ continentur in operibus quorum tituli ſunt ; *Onderwys voor de eerſte Communie, dat is, Geeſtelyke Bruiloſt van de Jonge Kinderen, gemaeckte door een Prieſter van de Societeyt Jeſu, &c.* Id eſt : *Catechiſmus pro primâ Communione*, &c. *ab uno Presbitero Societatis Jeſu*, &c. & l'*Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe ſur la fréquente Communion, par le P. Pichon de la Compagnie de Jeſus*. Id eſt : *Mens Chriſti & Eccleſiæ de frequenti Communione, auctore P. Pichon, è Societate Jeſu.*

In primo libello, primùm typis impreſſo Lovanii anno 1758. & ultimùm Amſtelodami anno 1695, quem ad uſum ab initio adhibuerunt, omneſque etiam adhibent Patres Jeſuitæ hîc degentes, ut ad primam Communionem præparent pueros, perniciosa dogmata in ipſo contenta populo propinant, licet multoties Clerus, & Antiſtites hujus

Eccleſiæ palàm conqueſti ſint (1), & ipſemet libellus Romæ 17 Januarii 1703 damnatus ſit. In hoc libello, inquam, duo generatim notavimus: 1°. Prænimiam plerorumque Confeſſariorum in concedendâ promiſcuè Pœnitentibus abſolutione facilitatem, quam falſis pietatis coloribus prætexunt: 2°. Crudelem benignitatem, quâ ad Corporis Chriſti participationem admittuntur multi, *quamvis amore ſui non minus videantur pleni eſſe, ac ſi adhuc menſæ idolorum aſſiderent* (2).

Hi duo plorabiles abuſus, de quibus olim querebatur Clerus Gallicanus, traduntur quaſi eſſent *Spiritus Chriſti & Eccleſiæ* in ſecundo libello noſtro examini propoſito. Hic primo Pariſiis anno 1745, & deinde multis aliis in locis, ac ſpeciatim Leodii anno 1747 cum conſuetis licentiis prælo datus eſt.

Callidè & ſubtiliter in hoc opere omne antiquorum & novorum Caſuiſtarum virus colligitur, circà diſpoſitiones ad Sacramenta ſuſcipienda neceſſarias.

Hujus enim operis Auctor, ut omnibus, etiam maximis peccatoribus, viam quæ ducit ad vitam, aperiat facilem, latam & ſpatioſam, omiſſis & ad nihilum redactis diſpoſitionibus ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ cum fructu ſuſcipienda neceſſariò requiſitis, totam Religionem ad ſolam utriuſque perceptionem reducit. Nihil enim poſtulare videtur ad reconciliationem peccatoris in Pœnitentiæ Sacramento, niſi nudam declarationem peccatorum, quibus conſcientia ſtimulatur; ſine morum emendatione aut emendationis ſpe, ſine ſincerâ & internâ cordis converſione, ſine novæ vitæ propoſito & inchoatione; imò cum *deſperatione* ceſſationis à peccato. Si fortè aliquem exigit dolorem de peccatis, is eſt iſte dolor qui ſinceram & intimam peccandi voluntatem non excludit, ſed tantum actualem, & quæ non in eâ cordis parte, quæ ſoli Deo eſt cognita reſideat, ſed in ſolâ ſuperficie voluntatis.

Abſolutio, quæ profectò ſic diſpoſitis præproperè & intempeſtivè datur, juxtà Auctorem, in pœnitentem infundit *ſanctitatem*, ſed eam tantùm quam *ſolam imperatam* vocat (3): quæ, etſi eam quaſi perfunctoriè

(1) Reſp. ad Mem. breve; cauſa Sebaſt. p. 24. & 53. Decl. Sebaſt. ibid. p. 24. juſtæ querelæ Eccleſiæ Batavorum Romano-Catholicæ 1701.

(2) Epiſt. Conventûs gen. Cleri Gall. ad Ill. Galliæ Epiſc. data anno 1656. quâ S. Caroli Inſtructiones commendantur.

(3) XII. Entretien & alibi paſſim.

Digitized by Google

conjunctam dicat *cum ſummâ deteſtatione peccati commiſſi & committendi*, *& cum eo mentis affectu quo Chriſtus creaturis omnibus anteponatur* (1), tota tamen ſiſtit, ſicut alibi inſinuat Auctor, in diſpoſitione quâdam habituali & ſterili, quæ tantum *odium Dei excludit* (2), non autem *imperium amoris ſui ipſius* in corde regnantis (3): qui amor, licet ementitè juſtificatos *in omnia ſcelerum genera præcipites agat* (4), nec illos *patiatur in bono ſtabiliri* (5), non impedit quominus iterum ad Communionem accedant.

Hæc falſa ſanctitas ſola videtur Auctori neceſſaria, ut omnes qui abſolutione ſacerdotali donati ſunt, Sacramentum Euchariſtiæ dignè percipiant, & quod pejus eſt, nihil ampliùs exigit, non dico, ut unâ vice, ſed etiam ut ſæpè, imò, ut quotidiè ſacræ menſæ participetur (6): quin ad hanc frequentem & quotidianam participationem omnes omninò Chriſtianos invitat, eamque in *præceptum expreſſum & formale* (7), ut vocat, transfert.

Rursùs contendit ex præcepto Chriſti & Eccleſiæ, neminem eſſe repellendum à quotidiana Communione, etiamſi *affectum* habeat *ad peccatum veniale*, quod definit *voluntatem deliberatam in culpis perſeverandi* (8).

Ulteriùs progreditur: hanc frequentem aut quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem tradit, quaſi unicum ſit ſalutis medium infirmitati humanæ accommodatum (9), *tanquam perfectiorem pœnitentiam* (10), *velut totam Religionem includentem* (11), &c.

Nova hæc dogmata audaciſſimus ille Auctor, non ut privatas ſententias, ſed ut Eccleſiæ Catholicæ doctrinam prædicat; & quamvis quandoque fateri cogatur ea à quibuſdam Catholicis impugnari (12), nihilominùs ſatanæ tradit & anathemati quæcumque doctrinæ ſuæ ad-

(1) P. 247. & 248.
(2) P. 257.
(3) P. 292.
(4) P. 277.
(5) P. 277. & 274.
(6) P. 378.
(7) P. 387.
(8) P. 254.
(9) P. 307. 388.
(10) P. 278. 407.
(11) P. 303. 414.
(12) P. 236.

verſantur, ſive dogmata, ſive libros, ſive Auctores ſibi inviſos (1).

Tali ſyſtemate tota Religio, totaque divinæ ſapientiæ œconomia in ſanctificatione peccatoris & Sacramentorum inſtitutione, prorsùs disjiciuntur. Juſtitia chriſtiana ad ſimulachrum juſtitiæ reducitur, quod vix æquiparari poteſt juſtitiæ quæ ex lege erat, quâ in carne ſanctificabatur homo per Sacramenta, quæ utpote *infirma & egena*, ſola *non poterant auferre peccata*, neque *perfectos facere*, neque *emundare conſcientiam ab operibus mortuis* (2).

Tali ſyſtemate homo adultus immunis aſſeritur à neceſſitate præparationis ad juſtificationem, aut ſaltem ab eâ quæ cordis mutationem, fidem, ſpem, & Dei dilectionem tanquam omnis juſtitiæ fontis comprehendit : diſpoſitioneſque ad Sacramenta dignè ſuſcipienda præviè neceſſariæ, dantur tanquam effectus Sacramentorum ; nec ſanctior præparatio ad Communionem exigitur, quàm præcedens Communio (3).

Quæ ut clariùs intelligantur, multa vobis exponenda circà diſpoſitiones ad veram juſtitiam in Sacramentis aſſequendam, & circà ejuſdem juſtitiæ naturam & caracteres, neceſſarium ducimus.

Æternâ & incommutabili lege tenetur homo hunc certum ordinem ſervare, ut non diligat quod non eſt diligendum, ut ampliùs diligat quod ampliùs eſt diligendum, ut æquè diligat quod eſt æquè diligendum, ut ſuper omnia diligat quod eſt ſuper omnia diligendum (4), id eſt, ſanctum & juſtum Deum, ut ſummum hominis bonum & finem ejus ultimum. Sic diſpoſitus homo innocens, erat ſanctus, juſtus & acceptus Deo ; ſed hanc ſanctitatem & juſtitiam per transgreſſionem divini mandati amiſit, non ſolùm ſibi, verùm etiam ſuæ propagini. Nemo enim eſt quin naſcatur non ſolum orbatus eâ ſanctitate & juſtitiâ in quâ conſtitutus fuerat Adam, ſed etiam naturâ filius iræ ; quique per peccatum originale, quod ineſt unicuique proprium, non incurrerit iram & indignationem, cum morte corporis & animæ, quæ eſt pœna peccati (5). At ut homo lapſus in primum ſtatum reſtituatur, neceſſe eſt ut non ſolum peccatum originale deleatur, & quæcumque adulti admi-

(1) P. 157. 207. &c.
(2) Heb. X. 1. 4. IX. 14.
(3) P. 326.
(4) V. S. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 27.
(5) Conc. Trid. Seſſ. v. c. 1.

ſerint

ſerint ignoſcantur, ſed etiam ut deſtruatur lethalis affectus peccati, quo Creatori creatura, bona tranſitoria æternis, mendacium veritati, juſtitiæ iniquitas anteponitur. Creat enim Deus in eis, quos *propter nimiam caritatem ſuam conviviſicat in Chriſto* (1), cor novum & Spiritum novum, ut ad ea quæ credenda in lege ac revelatione divinâ proponuntur, intellectus captivetur, ut diſcuſsâ mentis caligine, per Spiritum Sanctum corda accendantur, ſeque ſuavi juſtitiæ jugo ſpontè ſubjiciant.

Si per naturam, ſi per legem hæc juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt; ſed quid dicit Scriptura? *Nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri* (2). Verus enim ille Redemptor noſter eſt, unus Salvator noſter: omnia fecit, omnia paſſus eſt, ut hominem lapſum repararet.

Igitur per gratiam Chriſti confertur juſtitia, id eſt, remiſſio peccatorum, & omnes chriſtianæ virtutes, uno verbo, interioris hominis renovatio per caritatem diffuſam à Spiritu Sancto in cordibus noſtris, quâ innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti efficimur. Sunt tamen media quædam, quæ ad juſtificationem diſponunt; homo nempè per exteriorem Religionis cultum, per poteſtatem Sacerdotibus datam, per Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit ædificando Eccleſiam ſuam, ad ſanctitatem veramque juſtitiam, quæ omnibus ſemper neceſſaria fuit, perducitur. Deus enim omnipotens & miſericors, quamvis ſola ſit juſtificationis per merita dilectiſſimi Unigeniti ſui cauſa efficiens, voluit tamen Sacramenta eſſe cauſam inſtrumentalem, & quaſi canales ſine quibus nulli contigit juſtificatio (3).

Omnis vera juſtitia, ſive incipiat, ſive cœpta augeatur, ſive aucta conſummetur, ſive amiſſa reparetur, Sacramentorum efficaciæ tribuenda eſt; quia per hæc placuit Deo gratiam homini communicari. Porro ſi temerarium ſit & inſanum media negligere, per quæ in cordibus noſtris Spiritûs Sancti gratia diffunditur, quanto magis, ſi omiſſa cordis converſione, media ad juſtificationem obtinendam credamus ſufficere.

Non minùs certum eſt quod Deus, dum voluit homines per Sacramenta juſtificari, voluit etiam Sacramenta non operari in adultis niſi præparatis ac ritè diſpoſitis. » Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam (in

(1) Eph. II. 4. 5.
(2) Act. 4. 12.
(3) Conc. Trid. Seſſ. VI. c. 7.

Digitized by Google

» Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramentis ſuſcipiendam) dum excitati di-
» vinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur
» in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt,
» atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per
» redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe eſſe
» intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur,
» ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eri-
» guntur, fidentes ſibi Deum propter Chriſtum propitium fore, illum-
» que tamquàm omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt. Ac propterea
» moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem (1) »; quæ omnia ſunt impulſus Spiritûs Sancti, *nondum quidem inhabitantis, ſed moventis*, ſicque præparantis ad Sacramentorum perceptionem, quâ accipimus remiſſionem peccatorum, quâ Spiritus Sanctus habitat in cordibus noſtris, quâ fit homo juſtus, eâ quæ propriè dicitur juſtitia inhærens & ſanctificans.

Qui prædictis diſpoſitionibus inſtructum ſe exiſtimat, dum tantum exterioribus ac levibus pietatis exercitationibus vacat, ut eſt nuda peccatorum declaratio (2), neſcit quantum diſtet cultus evangelicus, qui præcipit adorandum Deum in ſpiritu & veritate, à judaïco cultu, qui cùm totus eſſet in baptiſmatibus & juſtitiis carnis, inquinatos ſanctificabat ad ſolam carnis emundationem (3). Si quis ad nihil aliud teneri peccatorem credit, ut reconcilietur Deo, nec eſſe neceſſariam cordis mutationem, atque ante juſtificationem, amore Dei ſuper omnia, qualis per primum divinæ legis mandatum præcipitur, hominem vacare poſſe, is neſcit quæ ſit humani cordis dignitas aut depravatio; nec magis juſtificato quàm pœnitenti hoc jugum imponet, quod leve & ſuave dicit æterna veritas.

Contra verò ſacro-ſanctum Concilium Tridentinum, ſecundum Apoſtolorum doctrinam quam perpetuâ traditione ad nos uſque propagatam Catholica Eccleſia ſemper retinuit, declarat hanc præparationem ad Pœnitentiæ Sacramentum, non ſimplici peccatorum confeſſione conſtare, quæ in caſu neceſſitatis ſuppleri poteſt, ſed verâ & ſincerâ cordis converſione (4); quæ mutatio fieri non poteſt, niſi per odium & de-

(1) Conc. Trident. Seſſ. 6. c. 6.
(2) S. Greg. Mag. l. 2. in c. 3. lib. I. Reg.
(3) Heb. IX. 13.
(4) Seſſ. VI. c. 6. & Seſſ. XIV. c. 4.

Digitized by Google

teſtationem peccati, quæ voluntatem peccandi excludat; & per inchoationem novæ vitæ, cum propoſito non peccandi de cœtero, juſtitiæ Dei ſatisfaciendi & ſervandi Dei mandata omnibus diebus vitæ ſuæ. Etenim nullus peccator ſufficienter præparatur ut cum Deo redeat in gratiam, » niſi ab eâ ceſſet injuriâ quâ Creator ſuæ creaturæ poſthabe- » tur, dùm ille minùs quàm hæc amatur, dum minus conditoris quàm » rei conditæ offenſa timetur, dumque Deo quàm mundo mundique » bonis carere minus reformidat, atque proindè quantumvis à Deo » damnari pertimeſcat; niſique illum magis quàm ejus diligat creatu- » ram (1) «.

Qui harum diſpoſitionum neceſſitatem agnoſcit, facilè intelliget, juxta communem rerum ordinem & diſpenſationem conſiliorum Dei, non in momento ſed per gradus fieri cordis converſionem, maximè cùm peccator pravæ & antiquæ conſuetudinis pondere premitur, & *voluntas nova quæ ipſi eſſe cœpit ut Deum gratis colat, nondum eſt idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam* (2). Licet enim potens ſit Deus facere omnia quæ vult & quomodo vult, cùm ſit ſummè ſapiens, exigit ut diu ac impensè poſtuletur juſtificatio: qui ordo cùm etiam locum habeat in his in quibus ab infidelitate ad Chriſtianam Religionem fit tranſlatio: quanto magis in his qui fidem in Baptiſmo datam violârunt, & Filium Dei conculcârunt, qui ad priſtinum ſtatum redire non poſſunt, *ſine magnis fletibus & laboribus* (3). Per hæc ardua & difficilia experimenta doceri vult Deus peccatorem, quantum ſit amiſſæ juſtitiæ pretium, quantum juſtificationis beneficium, quantâque curâ & ſtudio conſervandum ſit bonum quod tanto negotio recuperandum fuerit. Etenim dum adhuc ſumus in viâ, juſtitia quam in vaſis fragilibus ſervamus amitti poteſt. Exhibet nobis Scriptura Juſtos qui ex ſtatu juſtitiæ exciderunt; idque non tantum Scripturâ & Eccleſiæ monumentis, ſed ipsâmet experientiâ conſtat.

Verum ex eo quod non dignatus eſt Deus, Juſtis qui ſunt ſuper terram juſtitiæ immutabilitatem tribuere, nonne inde ſequitur, quod eorum juſtitia ſit ſicut arundo vento agitata, & ſicut domus ſuper arenam ædificata? Si quis ita ſentit, planè ignorat & quæ ſit natura juſtitiæ, &

(1) Epiſt. Caſt. ad Cler.
(2) S. Aug. Conf. l. 8. c. 5.
(3) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 2.

Digitized by Google

quæ ſint Dei promiſſa magnifica & fidelia. *Natura juſtitiæ*, Caritas diffuſa per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris iiſque inhærens : *at fortis eſt ut mors dilectio.* Qui ſincerè amat, nihil tam reformidat quàm ab objecto quod amat & cui inhæret, ſeparari. *Promiſſa Dei magnifica & fidelia*, expreſſis verbis declarantur in Scripturis, Spiritu Sancto dicente : *in perpetua caritate dilexi te* (1) ; *dabo vobis cor novum ; percutiam cum eis fœdus pacis, pactum ſempiternum ; dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum* (2) *& uſque ad canos ego portabo* (3). Hujus veræ & ſtabilis juſtitiæ Chriſtus non ſolum eſt fons & efficiens cauſa, ſed etiam typus; dicit enim Apoſtolus quod *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur ; ut quomodò ſurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* (4). Unde certius indicium quod quis ſurrexerit cum Chriſto, illud eſt, *ut quæ ſursùm ſunt ſapiens, non quæ ſuper terram*, ceſſet à peccatis ſaltem mortiferis & incedat fideliter in viâ juſtitiæ.

Hæc eſt *probatio* de quâ agit Apoſtolus, cum ait, *probet autem ſeipſum homo*, ne judicium ſibi manducet & bibat ; quod ita accipiendum eſt ut homo antequam cœleſti pane veſcatur, exploret an ſit ita corde præparatus, ſic ſpiritualiter mortuus peccato, ut dignus ſit corporalem Chriſti mortem annuntiare. Ideo inſtitutum eſt hoc Sacramentum ut repræſentet hanc duplicem mortem. Quiſquis eſt in quo adhuc vivit & regnat vetus homo, huic inſtitutioni contradicit, Jeſum-Chriſtum contumelioſè conjungit cum Belial. Hujus igitur myſterii ſanctitas & divinitas exigit à Chriſtiano, ut ad illud accedat cum magnâ reverentiâ & ſanctitate. Communio enim imago eſt ac ſymbolum unionis quæ nobis eſt cum Chriſto, ſimul & via quam elegit Salvator noſter Jeſus-Chriſtus quâ intimiùs cum illo conjungamur. Communionis uſus frequentior eſt ſignum exterius arctioris vinculi, quo velut conglutinamur cum Chriſto per abundantiorem ſpiritûs ejus participationem. Tollit hujus ſigni inſtitutionem, qui rem ſignificantem ſeparat à re ſignificatâ. In hoc peccant qui ad Communionem Corporis Chriſti accedentes, nullam habent veram fiduciam quod in corde illorum vivat Chriſtus &

(1) Jer. 31. 3.
(2) Ezech. 36. 26. 37. 26.
(3) Iſaiæ 46. 4.
(4) Rom. 6. 4.

Digitized by Google

regnet per ſpiritum ſuum ; quique etiam frequenter communicant, nec ſpiritûs Chriſti partem accipiunt abundantiorem. Cùm ſit præcipuum ac neceſſarium Chriſtianorum officium omni deſiderio & labore ad id tendere, ut magis ac magis creſcant in gratiâ ; nihil prætermittere debent, ut digni efficiantur, qui frequenter communicent, » memores ſemper » tantæ majeſtatis & tam eximii amoris Jeſu-Chriſti Domini noſtri, » qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem » ſuam nobis dedit ad manducandum. Hæc ſacra myſteria corporis & » ſanguinis ejus, eâ fidei conſtantiâ & firmitate, eâ animi devotione » ac pietate venerantes, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter » ſuſcipere poſſint (1).

Sacro-ſanctum Concilium Tridentinum ſeverè damnavit eorum temeritatem, qui cùm ſibi conſcii ſint peccati mortalis, quantumvis ſibi contriti videantur, ad ſacram Euchariſtiam accedere audent abſque præmiſsâ ſacramentali confeſſione & abſolutione, cùm non deſit illis copia Confeſſoris ; quantò ſeveriùs damnaſſet eos qui abſque ſincerâ cordis contritione, præviâ tantùm peccatorum confeſſione & abſolutione, Sacramentum illud ſuſcipiunt ; cùm conſtet in caſu neceſſitatis contritione ſuppleri confeſſionem, nullatenùs vero confeſſione poſſe ſuppleri contritionem ?

Cùm verò doctrina quam proponimus maximi ſit momenti, cenſemus à ſancta Synodo adhortandos eſſe Sacramentorum Miniſtros, ut, ſpretis quorumdam recentiorum ſcriptis, ea legant, & quidem aſſiduè, quæ acceptam à SS. PP. doctrinam integram ſervaverunt poſteritati tradendam : & inter hæc exquiſita documenta, præcipuè Catechiſmum Concilii Tridentini, Patrum juſſu concinnatum & editum, & opus inſcriptum *Amor Pœnitens*, cujus Auctor eſt piæ memoriæ Reverendiſſimus Epiſcopus Caſtorienſis, qui noſtræ Eccleſiæ præfuit ; opus omni laude noſtrâ digniſſimum, à Pontificibus, Cardinalibus, Epiſcopis, celeberrimiſque Theologis laudatum & approbatum (2) ; à cujus lectione deterreri debet nemo, ex eo quod ab ejus doctrinæ adverſantibus vehementiſſimè impetitum fuerit, quorum conatus incœpti ut condemnaretur, hunc exitum habuêre, ut Deus, quo volente, ex malo ducitur bonum,

(1) Conc. Trident. Seſſ. 13. c. 8.
(2) *Amor Pœnitens, ſive de divini amoris ad pœnitentiam neceſſitate & recto clavium uſu*, &c. auctore J. Epiſc. Caſtorienſi. 2. edit. auctior 1685.

Digitized by Google

hanc mentem præfato Epiſcopo dederit, ut alteram publicaret ejuſdem operis editionem adeo accuratam, ut nequidem eo tempore quo adverſarii maximè auctoritate pollebant, nullâ potuerit cenſurâ notari. Præter trium ſanctitate & doctrinâ illuſtrium Epiſcoporum, & celebrium Theologorum pluſquam triginta approbationes ampliſſimas, quæ in capite hujus ſecundæ editionis leguntur, habemus in Grammatophylacio noſtro ampla teſtimonia ab Innocentio XI, tribus Eminentiſſimis Cardinalibus, & illuſtriſſimis ultimi ſæculi Epiſcopis & Theologis, ad confirmandam hujus operis doctrinam conceſſa (1).

(1) Papa Innocentius XI. ubi magno cum ſtupore audivit ſubreptum fuiſſe Congregationi cuidam Romanæ, vocum pluralitate, quoddam Decretum ad ſuſpendendam primam editionem donec corrigeretur, ſibi de hâc re ſtatuendum reſervavit, exclamans, *optimum eſſe opus, auctoremque ſanctitatis plenum : il libro è buono, il autore è ſancto* *.

Illuſtriſſimus Cardinalis *Grimaldi*, hujus libri patrocinium apud Summum Pontificem contra Denuntiatores apertè ſuſcepit, plenoque ore prædicavit, *opus eſſe admirabile, à peritiſſimis Theologii comprobatum, cujus doctrina haberetur ut omninò conſentanea ſacris Canonibus, Sententiis, & praxi S. Caroli, omniumque Galliæ Epiſcoporum qui rectè ſentirent.*

D. Caſoni, poſtea Cardinalis, eam appellabat *ſanctiſſimam Patrum & Eccleſiæ doctrinam, quæ oppugnabatur nonniſi machinationibus improborum hominum, qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem.*

Eminent. Card. *Le Camus*, Epiſc. Gratianopolitanus, dum maximâ cum lætitiâ eumdem librum legeret, animadverterat ſuperſtructum eſſe *doctrinâ ſolidâ*, quam, ait, *quicumque antiquitatem tantiſper ſapiunt & quodam amore in Eccleſiam afficiuntur, certè admirabuntur.*

Archiepiſcopus Mechlinienſis, Alphonſus de *Berghes*, Auctori gratias agendo pro ſecunda editione quâ eum donaverat, teſtatur ſe eam cum gaudio ſuſcepiſſe, *ex alto confidens morum emendationem quam prior liber induxerat, per hunc noviſſimum perficiendam & ſolidandam.*

Eruditiſſimus D. *Boſſuet*, Epiſcopus Meldenſis, hoc opus definivit, *doctiſſimam & ſuaviſſimam lucubrationem : & doctrinam quam exprimit de amoris divini, ſaltem incipientis, in Pœnitentia neceſſitate, doctrinam præclaram atque hoc tempore maximè neceſſariam*, *quâ quidem*, ut pergit, *veræ pietatis ſtudioſos obſtrictos tibi habes.* Deinde Auctori nuntiat *fortaſſe aliquos adverſarios non ei deſuturos qui ea de re*, inquit, *numquam quieturi eſſe videntur.*

D. Gilbert. *de Choiſeul*, Epiſcopus Tornacenſis, idem opus vocat *opus aureum, eximium opus.*

D. Guy *de Seve*, Epiſcopus Atrebatenſis, cujus Epiſtolæ Paſtorales circa hanc materiam à triginta Galliæ Epiſcopis probatæ ſunt, alludens operi de quo agitur; D. de Caſtorie mortuum deflebat *ut præſtantiſſimum Paſtorem, qui Eccleſiæ cauſam tanto animo tuitus eſſet, & cujus morte Eccleſia magnanimum defenſorem amiſiſſet.*

D. Genet, Epiſcopus Vaſionenſis, Româ ſcribebat ad D. *de Caſtorie*, quem vocabat *Epiſcopum prioribus ſæculis dignum, ſe miratum eſſe in ejus libro cui titulus eſt*, Amor Pœnitens, *doctrinam & zelum, ut Sacramentum Pœnitentiæ ad ſalutem animarum dignè adminiſtraretur.*

* Epiſt. D. du Vaucel ad Epiſc. Caſtorienſem, Romæ ſcripta 16. Martii 1686.

Addenda etiam cenſemus egregia documenta S. Caroli Borromæi de Sacramento Pœnitentiæ, quorum ſupradictus liber eſt tantum interpretatio : quæ documenta anno 1657 Confeſſariis commendavit Clerus Gallicanus, tamquam *efficacius remedium*, ſeu antidotum contra novas Caſuiſtarum propoſitiones ſibi delatas, quas pro temporum circumſtantiis expendere non potuit, nec cenſurâ notare ; & quæ vocat *documenta tam ſancta, tamque hoc tempore*, ut ait, *quod meritò fæx & finis ſæculorum dici poteſt, neceſſaria.*

Hiſce demum ſalutaribus regulis, antiqui Cleri noſtri praxim conformem eſſe teſtificatus eſt illuſtriſſimus Coddæus noſter initio hujus ſæculi, ſicuti & documentis Eminentiſſimorum Cardinalium Grimaldi, d'Aguirre, d'Enhoff, le Camus, &c. Idem ſæpè teſtati ſunt de Clero hodierno cæteri Antiſtites hujus Eccleſiæ. Horum veſtigiis inſiſtentes, hæc omnia documenta omnibus curam animarum gerentibus ſedulò commendanda exiſtimamus, ſicut & probatiſſima opera deinceps in lucem edita optimorum Magiſtrorum ſacræ Scripturæ & SS. PP. indivulsè adhærentium ; ac præſertim celeberrimum illud Documentum Paſtorale Reverendiſſimi Archiepiſcopi Turonenſis (D. de Raſtignac), *de Juſtitiâ Chriſtianâ*, hiſce ultimis temporibus, pernicioſis dogmatibus, quæ licet pluriès reſecta quotidiè repullulabant, opportuniſſimè oppoſitum. Hoc Documentum Italicè redditum, ſummas laudes habuit à ſapientiſſimo Pontifice Benedicto XIV, & à celebrioribus Italiæ Theologis.

His expoſitis tria ad Synodum proponenda duximus.

D. *Leyburn*, Auditor Cardinalis de Norfolk, deinde Epiſcopus Adramitenſis, & in Angliâ Vicarius Apoſtolicus, poſtquam legiſſet librum de quo agitur *maximâ cum lætitiâ*, legit pariter hujus *Apologiam* ad Cardinales miſſam, quam appellat *eruditiſſimam ſanè & ſolidiſſimam quâ pleniori calamo objecta contra Amorem Pœnitentem, non tam confutata quàm contrita & prorsùs disjecta.*

Illuſtriſſimis illis Epiſcopis ſubjungere poſſemus plurimos ſanctos Abbates, Theologos, alioſque graviſſimos Viros, qui illud opus altiùs etiam præ cœteris extulerunt (*a*), ſed ne prolixior fiat oratio, eos omittimus. Non poſſumus tamen prætermittere Litteras Paſtorales datas 2 Novembris 1687 à Reverendiſſimo Patre *Joanne Cerle*, Canonico & Præcentore Cathedralis Apamienſis, qui ſe Vicarium Generalem & Officialem hujus Diœceſis, Sede vacante, *auctoritate apoſtolicâ* præferebat, ubi commendat omnibus Diœceſis Paſtoribus, opus inſcriptum *Amor Pœnitens, ut librum eximium auro caritatis deſcriptum*, & ut aptiſſimum ad retinendum firmandumque quod circa pœnitentiæ diſciplinam tot laboribus & tot certaminibus optimus Præſul (Fran. Caulet Ep. Apam.) inſtituit.

(*a*) Abbates d'*Orval* & de *Chaſtillon*. D. *Dorat* Archipresb. Diœceſis Apam. P. *Maluc*, Dominic. ejuſd. Diœc. D. *du Suel*, Can. & Pœnitentiarius Atrebatenſis, P. *Honoré le Blanc*, Presb. Orat. Jeſu, DD. *Arnaud*, *Nicole*, *Duguet*, &c.

Digitized by Google

1°. Ut declaret brevi & clarâ expoſitione Eccleſiæ doctrinam circa diſpoſitiones ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ritè ſuſcipienda.

2°. Ut commendet opera præcipua in quibus hæc ſana doctrina, juxta Scripturæ & Traditionis normam, fuſiùs traditur & explanatur; præſertim opus illuſtriſſimi Neercaſſel, cui titulus, *Amor Pœnitens*; & Documentum Paſtorale Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Turonenſis, *de Juſtitiâ Chriſtianâ*.

3°. Ut damnet propoſitiones quaſdam excerptas ex libellis ſuprà citatis, quas propoſitiones ſub Synodi oculis ponimus.

I.

De diſpoſitionibus ad Abſolutionem & Communionem requiſitis.

Propoſitiones excerptæ ex Libro inſcripto : *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe*, &c.

I.

La Communion étant inſtituée pour être l'infaillible application des mérites de Jeſus-Chriſt ſur la Croix, ne mettez point d'obſtacle par aucun péché mortel. *Ce Sacrement, par ſa propre vertu, operera une grace victorieuſe de vos affections déréglées.*

Theophile. C'eſt donc *comme le Baptéme*, qui agit ſur les enfans & leur donne la grace, *ſans autres diſpoſitions de leur part ?*

Le Docteur. Oui, &c. P. 293, 294. edit. Leod.

I.

Cum Communio inſtituta ſit ad infallibilem applicationem meritorum Chriſti crucifixi, nullum impedimentum per mortale peccatum interponas. Hoc Sacramentum propriâ virtute pravas tuas affectiones gratiâ victrici reprimet.

Theoph. (*Communio*) *ergo ſimilis eſt* Baptiſmo, *qui operatur in parvulis*, *eiſque gratiam communicat* abſque aliâ eorum diſpoſitione.

Doctor. Ita *eſt*, *&c.*

II.

Experimur multos variis & graviſſimis peccatis irretitos, ex frequenti Communione ſic eſſe ad Dominum converſos, *ut nunquam vel parum in vitâ peccaſſe videantur.* (Ex Tolet.) Ibid. p. 107.

III.

(L'Egliſe) a toujours cru &... croit encore qu'à force de les rece-

III.

(*Eccleſia*) *ſemper credidit & adhuc credit peccatores* ſeſe emendaturos

voir (les pécheurs, c'eſt-à-dire de leur *réitérer l'abſolution*), ils ſe *corrigeront* de leurs fautes & ſe ſanctifieront. P. 274.

ros, *ſanctitatemque conſecuturos*, *ſi ſæpiſſimè recipiantur* (*id eſt*, iterùm atque iterùm abſolutionem impetrent.

I V.

L'Abbé : N'eſt-il pas plus décent & plus convenable d'attendre qu'un homme ſoit fortifié dans le bien, & ne peche plus (mortellement), & qu'il ait acquis toutes les vertus avant la Communion, que de le faire communier tandis qu'il eſt encore foible, infirme, ſujet à retomber ?

I V.

Abbas : *Nonne decentiùs ac ſatiùs eſt expectare hominem in bono corroboratum eſſe, à peccato (mortali) jam immunem eſſe, omneſque virtutes acquiſiviſſe ante Communionem ; quàm ſi eum ad Communionem admittas, cùm adhuc debilis, infirmus & ad relabendum propenſus eſt ?*

Le Docteur : C'eſt comme ſi vous diſiez : ne convient-il pas mieux de laiſſer ſans nourriture un malade convaleſcent ? P. 274.

Doctor : *Idem iſtud eſt ac ſi dicas : nonne meliùs eſt à morbo convaleſcentem ſine cibo relinquere ?*

V.

Voulez-vous donc *corriger un pécheur*, & après ſon repentir le faire perſévérer dans la grace & la vertu, faites le communier ſouvent ? P. 276.

V.

Vis ergò peccatorem corrigi, & poſt reſipiſcentiam in gratiâ ac virtute eum perſeverare, ſæpè communicet ?

V I.

C'eſt la très-fréquente Communion (trois fois la ſemaine par exemple) qui les *fixera* dans le bien (les pécheurs *plongés dans toutes ſortes de crimes*). P. 277.

V I.

Frequentiſſima Communio (*veluti tribus per hebdomadem vicibus*) *eos* (*id eſt peccatores in omni criminum genere merſos*) *in bono conſolidabit.*

V I I.

Les *plus grands pécheurs* reſtent dans leurs crimes par un déſeſpoir inſenſé de devenir des Saints. Ils s'imaginent que la ſainteté leur eſt impoſſible ; & ils ſe trompent. Ce Sacrement adorable leur donneroit une force ſouveraine & une facilité entiere pour *ſe corriger*, s'ils vouloient ſe diſpoſer à le recevoir. P. 333.

V I I.

Maximi peccatores .... *in ſuis criminibus ideò manent, quia inſani deſperant Sanctos fieri poſſe. Sibi ipſis ſanctitatem arduam & impoſſibilem fingunt : & in hoc errant. Hoc adorandum Sacramentum eis præſtaret robur ſummum & maximum*, ad ſeipſos corrigendos *facilitatem*, *ſi ſe ad illud recipiendum diſponere vellent.*

V I I I.

La fréquente Communion eſt le

V I I I.

Frequens Communio & breviſſimum

moyen & le plus efficace & le plus abrégé de *converſion* & de ſanctification, & le frein le plus puiſſant contre les vices & *les mauvaiſes habitudes.* P. 407.

& efficaciſſimum eſt ad converſionem *& ſanctificationem auxilium, & potentiſſimum contra vitia &* pravas habitudines *frænum.*

I X.

La gloire de Jeſus-Chriſt dans l'Euchariſtie, n'eſt-ce pas..... d'y *détruire tous les vices?*

I X.

Chiſti in Euchariſtiâ gloria, nonne eſt... vitia omnia deſtruere?

X.

A peine Dieu ſera-t'il dans votre cœur (par la Communion) qu'il *détrônera* l'amour propre, & détruira *ſon empire*, en lui portant à chaque Communion un coup meurtrier. P. 292.

X.

Vix Deus in corde tuo (per Communionem) erit, cùm amorem proprium ejiciet, *ejuſque* imperium deſtruet, *illi mortale ad ſingulas Communiones vulnus impingens.*

I I.

De Confeſſione.

Ex Opere inſcripto : *Onderwys voor d'eerſte Communie*, &c.

I.

I[ſte]. Vraag. Wat is de Biegte ofte Pœnitentie?

Antw. Het is een bat van het dierbaer bloed Chriſti, tot zuiveringe van alle ſmetten der zonden, zoodat men van allen die gebiegt hebben mag zeggen: *zy hebben hunne clederen gewaſſchen in 't bloed van 't Lam.* (Apoc. VII. 14.) P. 5.

I.

1. *Interr. Quid eſt Confeſſio?*

Reſp. Eſt lavacrum pretioſi ſanguinis Chriſti, in ablutionem ab omnibus peccatorum maculis; ita ut de omnibus qui confeſſi ſunt dici queat: laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. *Apoc. 8. 14.*

I I.

2. Vr. Is de Biegte een moeyelyke zaake.

Antw. Neen. Want de wonden onzer zielen worden genezen, met die eens te zeggen. P. 9.

I I.

2. *Interr. An Pœnitentiæ Sacramentum res ſit difficilis?*

Reſp. Non. Nam vulnera animæ noſtræ illic ſanantur, dummodo declarentur.

I I I.

3. Vr. Dat 'er een Chirurgyn of Medicyn ware, die de wonden en ziekten, met die alleen te zien ofte

I I I.

3. *Interr. Si Chirurgus aut Medicus aliquis vulnera morboſque* ſolâ inſpectione, *vel auditâ eorumdem*

hooren zeggen, konde genezen, zoude men hem voor eenen ſtraffen meeſter houden?

Anw. Neendog: en voorwaar zoodaemgen Medicyn is de Biegtvader. P. 9.

relatione ſanare poſſet, habereturne tanquam Medicus durus?

Reſp. Non profectò: jam verò talis Medicus eſt Confeſſarius.

Ex Opere inſcripto: *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe*, &c.

I V.

Avant de communier tous les jours, à quoi il (Saint Paul) exhorte, examinez bien ſi vous êtes exempt de péchés mortels.... & ſi vous ne l'êtes pas, purifiez-vous *au plûtôt* (par la confeſſion), afin de ne pas manquer à la Communion quotidienne. P. 226.

I V.

Antequam quotidie communices; quod (B. Paulus) ſuadet, examina cum curâ an peccati mortalis immunis ſis... ſi non es, ſtatim *ablue te (per confeſſionem) ne quotidiana Communio omittatur.*

I I I.

De Contritione.

Ex Opere inſcripto: *Onderwys voor d'eerſte Communie*, &c.

I.

Een onvolmaekt berow is een droefheil van de zonden om de leelykheid der zonden, vreeſe der helle, uitsluitinge van de glorie, iae ook waerſchynlyk uit de vreeze van tydelike ſtraffen, als verlies van goed, eere, ſtaat, ziekten en een voortydige doot, voor zooveel die van god komen, ofte gevreeſt vorden, als van een regtraerdigen ende ſtrengen regter.

Het volmaekt berow verwerſt volle vergiffeniſſe, ende herſtelt ons in de gratie en de liefde gods. *Maer het onvolmaekt en is daar toe niet kragtig genoeg, zonder het Sacrament van de Biegt.*

I.

Contritio imperfecta eſt dolor de peccato ob turpitudinem peccati, timorem gehennæ, excluſionem à gloriâ; imò etiam probabiliter ob metum pœnarum temporalium, veluti amiſſionis bonorum, honoris vel ſtatus, aut morborum vel præmaturæ mortis; quatenùs immittuntur aut timentur à Deo juſto & ſevero judice.

Perfecta contritio plenam remiſſionem obtinet, & nos in gratiam & Dei caritatem reſtituit; ſed imperfecta contritio ſufficientem ad hoc vim non habet ſine Sacramento Confeſſionis. *Lect.* 3.

Digitized by Google

Ex Opere inſcripto : *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe*, &c.

II.

L'Abbé ... Vous fixez pour tous une ſainteté commandée, une ſainteté que tous peuvent aiſément avoir. Car qui voudroit communier *en haïſſant Dieu ?* P. 257.

II.

Abbas ... Statuis omnibus ſanctitatem imperatam, *quam quiſque facilè acquirere poteſt. Quis enim* cum Dei odio *communicare vellet ?*

IV.

De ſacrâ Communione.

Ex Opere inſcripto : *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe*, &c.

I.

La ſeule néceſſaire & indiſpenſable diſpoſition pour recevoir dignement Jeſus-Chriſt, c'eſt l'exemption de tout péché mortel .... C'eſt là une vérité catholique.

I.

Sola abſolutè neceſſaria diſpoſitio ad recipiendam Euchariſtiam, eſt exemptio omnis peccati mortalis .... Hæc eſt veritas catholica.

II.

L'Abbé : S. François de Sales ordonne que pour communier ſouvent, & même tous les huit jours, on ſoit exempt de tout péché mortel, & même de toute affection au péché véniel.

Le Docteur : Jeſus-Chriſt ni l'Egliſe ne l'ordonnant pas, ce Saint n'avoit garde de le faire ... mais il le conſeille. Cette affection eſt une volonté délibérée de perſévérer dans ſes fautes. P. 254.

II.

Abbas : *S. Franciſcus Saleſius præcipit ut ad ſæpè vel ſingulâ ſemel hebdomade communicandum, ab omni peccato mortali, & ab omni ad veniale peccatum affectione liber ſis.*

Doctor : *Neque Chriſtus, nec Eccleſia hoc præcipiunt : neque S. Saleſius committere potuit ut hoc præciperet ... ſed tantùm ſuadet. Hæc affectio deliberata voluntas eſt in culpis perſeverandi.*

III.

Theophile : Ne faut-il pas être plus ſaint pour communier ſouvent, & même tous les jours, que pour communier une fois ?

Le Docteur : Pour l'un & pour l'autre, il faut toujours être en état de grace. C'eſt la même ſainteté commandée : mais pour la ſainteté conſeillée il faut faire en ſorte qu'elle augmente. P. 378.

III.

Theoph. *Nonne major requiritur ſanctitas ad ſæpè vel quotidiè, quàm ad ſemel communicandum ?*

Doctor : *Ad utrumque gratiæ ſtatus requiritur. Hæc eſt eadem ſanctitas imperata, quod ad ſanctitatem conſilii pertinet, id agi debet ut ſemper creſcat.*

Digitized by Google

IV.

Ne nous flattons point. Pour la plûpart des Chrétiens, il n'y a gueres, moralement parlant, d'autre moyen de ſalut que la fréquente & très-fréquente Communion. P. 388. V. p. 307.

IV.

Ne decipiamus nos. Nulla ſunt vulgò, moraliter loquendo, pleriſque Chriſtianis ſalutis media quàm frequens & frequentiſſima Communio.

V.

Prêcher & faire pratiquer la Communion fréquente, c'eſt prêcher & faire pratiquer *toute* la Religion. Nous autres Prêtres & Paſteurs, nous ne ſommes que pour adminiſtrer les Sacremens. P. 303. V. p. 414 & 415.

V.

Prædicare & imperare praxim frequentis Communionis (nihil aliud) eſt quàm prædicare & imperare praxim totius *Religionis. Nos Sacerdotes & Paſtores, ſumus (Sacerdotes & Paſtores) tantùm ad adminiſtranda Sacramenta.*

VI.

Elle eſt donc commandée (la Communion fréquente) comme un moyen moralement néceſſaire au ſalut, comme le moyen le plus efficace pour le ſalut. P. 387.

VI.

Imperata eſt igitur (Communio frequens) tanquam medium moraliter ſaluti neceſſarium, tanquam medium ſaluti efficaciſſimum.

DECRETUM IX.

Regulas ſequentes ut veras, certas, ac Eccleſiæ intentioni & doctrinæ conſentaneas decernit ſancta Synodus.

I.

Prima eſt, ut adulti, antequam ad Sacramentorum receptionem admittantur, non ſolùm non ignorent præcipua Religionis Chriſtianæ myſteria, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, ſed etiam ut ſeſe abſtineant *à ſæcularibus deſideriis* (1), ac præſertim ab his peccatis *quæ* animam *uno ictu perimunt* (2), & excludunt à regno Dei.

(1) Tit. 2. 12.
(2) S. Aug. Ser. 18.

II.

Fuit quidem virtus pœnitentiæ omnibus hominibus quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria; cujus principium eſt *ſecundum Deum triſtitia*, quæ *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur* (1).

III.

Ille Sanctorum Patrum documentis ac regulis chriſtianæ pietatis contradicit, qui putat abſolvi poſſe peccatores in quibus prædominatur adhuc amor ſui, & quibus ſatis eſt non odiſſe Deum; ſeu qui moventur ad odium aliquod peccati ſolo metu pœnarum temporalium, vel etiam ſolo timore gehennæ, non amore juſtitiæ (2).

IV.

Ad Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ dignè recipienda, in adultis requiritur, præter fidei & ſpei actus, ac timorem quo utiliter concutiuntur, initium ſaltem amoris Dei ſuper omnia, quo diligitur Deus tanquam omnis juſtitiæ fons (3).

V.

Has prævias diſpoſitiones juſtificatio conſequitur Sacramenti perceptione, aut aliquandò ejus voto: quæ quidem juſtificatio conſiſtit non in ſolâ remiſſione peccatorum, ſed in ſanctificatione & renovatione *interioris hominis, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis* (4).

VI.

Quamvis juſtitia ſit amiſſibilis, non tamen deſultoria, ita ut

(1) 2. Cor. 7. 10.
(2) S. Aug. paſſim.
(3) Conc. Trid. ſeſſ. 6.
(4) Eph. 3. 16, & 4. 24.

identidem amittatur & recuperetur, ſed conſtans & ſtabilis eſt (1). *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Conſepulti ſumus cum* Chriſto *per Baptiſmum* in ſimilitudinem *mortis & reſurrectionis* ejus, *ut quomodo Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* (2).

VII.

Rursùs hæc ſanctitas vera & non ficta, acquiſita non acquirenda, tanquam præparatio ac diſpoſitio neceſſaria requiritur, ut dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat: *ſancta* enim nonniſi *ſanctis* concedenda ſunt: *& quò magis ſanctitas & divinitas hujus cœleſtis Sacramenti viro chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſquè magnâ reverentiâ & ſanctitate ad id percipiendum accedat* (3).

VIII.

Sit igitur homo in ſtatu juſtitiæ, ut ſacram Euchariſtiam percipiat; ſit ſanctior, ut ſæpiùs communicet; ſit ſanctiſſimus, ut quotidiè ad ſacram menſam accedat. Hanc regulam docuere Sancti priorum ſæculorum Patres, quam etiam à ſanctis poſteriorum ætatum Doctoribus traditam accepimus.

IX.

Quod ſpectat ad Confeſſarios:

Non ſatis eſt Confeſſario ut agnoſcat in Pœnitente ceſſationem ab actibus externis peccati: exigat præterea ut in eo ſit verum, efficax & conſtans *propoſitum non peccandi de cæ-*

(1) S. Aug. Expoſit. quor. prop. ex Epiſt. ad Rom. n. 13. & in Pſal. 45. n. 3.
(2) Rom. 6.
(3) Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.

Digitized by Google

tero (1); exploratum non tantùm per ſigna dubia; qualia ſunt lachrimæ, promiſſa, peccatorum vel integra & ſincera declaratio; ſed per *vitæ novæ inchoationem* (2), & præmiſſa quædam opera pœnalia aliquando ad ſanandos morbos neceſſaria (3).

X.

Confeſſarius antequam Pœnitentem abſolvat, quandam certitudinem moralem habeat, conſtans *non peccandi propoſitum, ceſſationem à peccato, novæque vitæ inchoationem* (4), ab amore juſtitiæ in corde Pœnitentis prædominante, procedere.

X I.

Cum ipsâ conſtet experientiâ non ſolere peccatores, præſertim eos qui duro pravæ conſuetudinis pondere premuntur, repentè, ſed gradatim (5) & poſt maximos labores ab amore prædominante creaturæ ad amorem prædominantem Dei & ad cordis & vitæ mutationem tranſire, non poteſt facilè Confeſſarius illam habere certitudinem moralem, niſi priùs, poſt ſufficiens temporis ſpatium, ſibi conſtet de Pœnitentis amoris ſinceritate per fructus dignos pœnitentiæ.

Hæ regulæ tanti ſunt ponderis ac pretii, ut ſatis animo verſari non poſſint. Ideo neceſſarium duxit ſancta Synodus impensè hortari eos quibus cura animarum incumbit, ut ad ampliorem earum expoſitionem inveniendam adeant ſanctos libros, SS. Patrum monumenta, & ſcripta juxta eorum mentem concinnata; ut inſtructiones Sancti Caroli Borromæi, &c.

(1) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.
(2) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.
(3) Card. d'Aiguirre Diſſert. 8. in Can. 11. & 12. Conc. Tolet. 3. Excur. 2.
(4) Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.
(5) S. Aug. Serm. 278. n. 3. Enarr. in Pſal. 6. n. 4. & l. 8. Confeſſ. c. 5.

Digitized by Google

ac ſpeciatim opera quæ hæreditario jure Eccleſia Batava poſſidet, qualia ſunt *Conſtitutiones ſervandæ à Presbiteris in fœderato Belgio laborantibus*, à piæ memoriæ Præſule DD. de Neercaſſel anno 1668 editæ ; & ejuſdem Antiſtitis eximium opus anno 1685 publicatum, cui titulus, *Amor Pœnitens*, &c. *editio ſecunda auctior* ; quod opus à Summis Pontificibus, Cardinalibus, Epiſcopis, celeberrimiſque Theologis, doctrinæ antiquitatis addictiſſimis, maximè laudatum eſt & approbatum.

Hortatur eos pariter ſacer Conventus, ut legant & meditentur lectiſſimorum Galliæ Epiſcoporum Documenta, non adeò antiquitùs in lucem edita contra laxiora & pernicioſa principia quæ continentur in libro qui inſcribitur : *L'Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l'Egliſe*, &c. : & imprimis celebre Documentum *De Juſtitiâ Chriſtianâ*, DD. *de Raſtignac*, Archiepiſcopi Turonenſis, quod Italicè redditum ſummas laudes habuit à SS. Pontifice Benedicto XIV, & à ſapientiſſimis Italiæ Theologis.

Itaque ſancta Synodus damnat propoſitiones ſibi denuntiatas : nempè :

I.

De diſpoſitionibus ad abſolutionem & Communionem requiſitis.

I.

La Communion étant inſtituée pour être l'infaillible application des mérites de Jeſus-Chriſt ſur la Croix, ne mettez point d'obſtacles par aucun péché mortel. *Ce Sacrement, par ſa propre vertu, opérera une grace victorieuſe de vos affections déréglées.*

Theophile. C'eſt donc *comme le Baptême*, qui agit ſur les enfans & leur donne la grace, *ſans autres diſpoſitions de leur part ?*

Le Docteur. Oui.

I.

Cum Communio inſtituta ſit ad infallibilem applicationem meritorum Chriſti crucifixi, nullum impedimentum per mortale peccatum interponas. Hoc Sacramentum propriâ virtute pravas tuas affectiones gratiâ victrici reprimet.

Theoph. (*Communio*) *ergò ſimilis eſt* Baptiſmo, *qui operatur in parvulis, eiſque gratiam communicat* abſque aliâ eorum diſpoſitione ?

Doctor : Ita *eſt*, *&c.*

I I.

Experimur multos variis & graviſſimis peccatis irretitos, ex frequenti Communione ſic eſſe ad Dominum converſos, *ut nunquam vel parum in vitâ peccaſſe videantur.* (Ex Tolet.)

I I I.

(L'Egliſe) a toujours cru &... croit encore qu'à force de les recevoir (les pécheurs, c'eſt-à-dire, leur *réitérer l'abſolution*) ils ſe corrigeront de leurs fautes & ſe ſanctifieront.

I I I.

(*Eccleſia*) *ſemper credidit* &... *adhuc credit peccatores* ſeſe emendaturos, *ſanctitatemque conſecuturos*, *ſi ſæpiſſimè recipiantur*, (*id eſt*, iterùm atque iterùm abſolutionem impetrent.

I V.

L'Abbé : N'eſt-il pas plus décent & plus convenable d'attendre qu'un homme ſoit fortifié dans le bien, & ne peche plus (mortellement), & qu'il ait acquis toutes les vertus avant la Communion, que de le faire communier tandis qu'il eſt encore foible, infirme, ſujet à retomber ?

Le Docteur : C'eſt comme ſi vous diſiez : ne convient-il pas mieux de laiſſer ſans nourriture un malade convaleſcent ?

I V.

Abbas *: Nonne decentiùs ac ſatiùs eſt expectare hominem in bono corroboratum eſſe, à peccato (mortali) jam immunem eſſe, omneſque virtutes acquiſiviſſe ante Communionem ; quàm ſi eum ad Communionem admittas, cùm adhuc debilis, infirmus & ad relabendum propenſus eſt ?*

Doctor : *Idem iſtud eſt ac ſi dicas : nonne meliùs eſt à morbo convaleſcentem ſine cibo relinquere ?*

V.

Voulez-vous donc *corriger un pécheur*, & après ſon repentir le faire perſévérer dans la grace & la vertu ? Faites le communier ſouvent.

V.

Vis ergò peccatorem corrigi, & poſt reſipiſcentiam in gratiâ ac virtute eum perſeverare ? ſæpè communicet.

V I.

C'eſt la très-fréquente Communion (trois fois la ſemaine par exemple) qui les *fixera* dans le bien (les pécheurs *plongés dans toutes ſortes de crimes*).

V I.

Frequentiſſima Communio (*veluti tribus per hebdomadem vicibus*) *eos* (*id eſt peccatores* in omni criminum genere merſos) *in bono* conſolidabit.

V I I.

Les *plus grands pécheurs*... reſtent dans leurs crimes par un déſeſpoir inſenſé de devenir des Saints. Ils s'imaginent que la ſainteté leur eſt impoſſible ; & ils ſe trompent.

V I I.

Maximi peccatores .... *in ſuis criminibus ideò manent, quia inſani deſperant Sanctos fieri poſſe. Sibi ipſis ſanctitatem arduam & impoſſibilem fingunt ; & in hoc errant. Hoc ado-*

Digitized by Google

Ce Sacrement adorable leur donneroit une force ſouveraine & une facilité entiere *pour ſe corriger*, s'ils vouloient ſe diſpoſer à le recevoir?

randum Sacramentum eis præſtaret robur ſummum, & *maximam* ad ſeipſos corrigendos *facilitatem*, *ſi ſe ad illud recipiendum diſponere vellent.*

VIII.

La fréquente Communion eſt le moyen & le plus efficace & le plus abrégé de *converſion* & de ſanctification, & le frein le plus puiſſant contre les vices & les mauvaiſes habitudes.

VIII.

Frequens Communio & breviſſimum & efficaciſſimum eſt ad converſionem *& ſanctificationem auxilium*, *& potentiſſimum contra vitia &* pravas habitudines *frænum.*

IX.

La gloire de Jeſus-Chriſt dans l'Euchariſtie, n'eſt-ce pas .... d'y *détruire tous les vices?*

IX.

Chriſti in Euchariſtiâ gloria, nonne eſt ... vitia omnia deſtruere?

X.

A peine Dieu ſera-t'il dans votre cœur (par la Communion) qu'il *détrônera* l'amour propre, & détruira *ſon empire*, en lui portant à chaque Communion un coup meurtrier.

X.

Vix Deus in corde tuo (*per Communionem*) *erit*, *cùm* amorem proprium ejiciet, *ejuſque* imperium deſtruet; *illi mortale ad ſingulas Communiones vulnus impingens.*

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus ut falſas, ſcandaloſas, pernicioſas, Scripturarum & Traditionis doctrinæ adverſas ac erroneas, eo ſenſu intellectas quod diſpoſitiones internæ, ſemper ab Eccleſia requiſitæ pro ſuſcipiendis cum fructu Sacramentis non ſint abſolutè in adultis neceſſariæ.

II.

De Confeſſione.

I.

I^{te}. Vraag. Wat is de Biegte ofte Pœnitentie?

Antw. Het is een bad van het dierbaer bloed Chriſti, tot zuiveringe van alle ſmetten der zonden, zoodat men van allen die gebiegt heb-

I.

1. *Inter. Quid eſt Confeſſio?*

Reſp. Eſt lavacrum pretioſi ſanguinis Chriſti, in ablutionem ab omnibus peccatorum maculis; ita ut de omnibus qui confeſſi ſunt dici queat: lave-

ben mag zeggen: *zy hebben hunne klederen gewaſſchen in 't bloed van 't Lam.* (Apoc. 7. 14.).

runt ſtolas ſuas in ſanguine Agni *Apoc.* 7. 14.

II.

2. Vr. Is de Biegte een moeyelike zaake.

Antw. Neen. Want de wonden onzer zielen worden genezen, met die eens te zeggen.

II.

2. *Interr. An Pœnitentiæ Sacramentum res ſit difficilis?*

Reſp. Non. Nam vulnera animæ noſtræ illic ſanantur, dummodo declarentur.

III.

3. Vr. Dat 'er een Chirurgyn of Medicyn ware, die de wonden en ziekten, met die alleen te zien ofte hooren zeggen, konde genezen, zoude men hem voor eenen ſtrafſen Meeſter houden?

Antw. Neendog: en voorwaar zoodaenigen Medicyn is de Biegtvader.

III.

3. *Interr. Si Chirurgus aut Medicus aliquis vulnera morboſque ſolâ inſpectione, vel auditâ eorumdem relatione ſanare poſſet, habereturne tanquam Medicus durus?*

Reſp. Non profectò: jam verò talis Medicus eſt Confeſſarius.

IV.

Avant de communier tous les jours, à quoi il (Saint Paul) exhorte, examinez bien ſi vous êtes exempt de péché mortel ...... & ſi vous ne l'êtes pas, purifiez-vous *au plûtôt* (par la confeſſion), afin de ne pas manquer à la Communion quotidienne.

IV.

Antequam quotidie communices; quod (B. Paulus) ſuadet, examina cum curâ an peccati mortalis immunis ſis ... ſi non es, ſtatim *ablue te (per confeſſionem) ne quotidiana Communio omittatur.*

Has propoſitiones damnat ſacer Conventus tanquam falſas, ſcandaloſas, ſacrilegiis faventes, diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitas ad ſolam externam Confeſſionem reducentes.

III.

De Contritione.

I.

Een onvolmaekt berouw is een droefheit van de zonden om de leelykheid der zonden, vreeſe der

I.

Contritio imperfecta eſt dolor de peccato ob turpitudinem peccati, timorem gehennæ, excluſionem à gloriâ;

belle, uitsluitinge van de glorie, iae ook waerſchynlik uit de vreeze van tydelike ſtraffen, als verlies van goed. eere, ſtaat, ziekten en een voortydige dood, voor zooveel die van God komen, ofte gevreeſt vorden, als van een regtvaerdigen ende ſtrengen regter.

imò etiam probabiliter ob metum pœnarum temporalium, veluti amiſſionis bonorum, honoris vel ſtatus, aut morborum vel prœmaturæ mortis; quatenùs immittuntur aut timentur à Deo juſto & ſevero judice.

Het volmaakt berouw verwerſt volle vergiffeniſſe, ende herſtelt ons in de gratie en de liefde Gods. *Maer het onvolmaekt en is daar toe niet kragtig genoeg, zonder het Sacrament van de Biegte.*

Perfecta contritio plenam remiſſionem obtinet, & nos in gratiam & Dei caritatem reſtituit; ſed imperfecta contritio ſufficientem ad hoc vim non habet ſine Sacramento Confeſſionis.

II.

L'Abbé: Vous fixez pour tous une ſainteté commandée, une ſainteté que tous peuvent aiſément avoir. Car qui voudroit communier *en haïſſant Dieu?*

II.

Abbas... *Statuis omnibus ſanctitatem imperatam, quam quiſque facilè acquirere poteſt. Quis enim* cum Dei odio *communicare vellet?*

Has propoſitiones ſacra Synodus damnat ut falſas, piarum aurium offenſivas, perniciem animarum inferentes, nec-non & erroneas, eo quòd aſſerant in Sacramento Pœnitentiæ ſufficere vel non odiſſe Deum, vel de peccato dolere, ſolo metu pœnarum temporalium.

IV.

De ſacrâ Communione.

I.

La ſeule néceſſaire & indiſpenſable diſpoſition pour recevoir dignement Jeſus-Chriſt, c'eſt l'exemption de tout péché mortel... C'eſt là une vérité catholique.

I.

Sola abſolutè neceſſaria diſpoſitio ad recipiendam Euchariſtiam, eſt exemptio omnis peccati mortalis. Hæc eſt veritas catholica.

II.

L'Abbé: S. François de Sales ordonne que pour communier ſouvent, & même tous les huit jours,

II.

Abbas: *S. Franciſcus Saleſius præcipit ut ad ſæpè, vel ſingulâ ſemel hebdomade communicandum, ab om-*

on ſoit exempt de tout péché mortel & même de toute affection au péché véniel.

Le Docteur : Jeſus-Chriſt ni l'Egliſe ne l'ordonnant pas, ce Saint n'avoit garde de le faire ... mais il le conſeille. Cette affection eſt une volonté délibérée de perſévérer dans ſes fautes.

ni peccato mortali, & ab omni ad veniale peccatum affectione liber ſis.

Doctor : *Neque Chriſtus, nec Eccleſia hoc præcipiunt : neque S. Saleſius committere potuit ut hoc præciperet ... ſed tantùm ſuadet. Hæc affectio deliberata voluntas eſt in culpis perſeverandi.*

III.

Theophile : Ne faut-il pas être plus ſaint pour communier ſouvent, & même tous les jours, que pour communier une fois?

Le Docteur : Pour l'un & pour l'autre, il faut toujours être en état de grace. C'eſt la même ſainteté commandée : mais pour la ſainteté conſeillée, il faut faire en ſorte qu'elle augmente.

III.

Theoph. *Nonne major requiritur ſanctitas ad ſæpè vel quotidiè, quàm ad ſemel communicandum?*

Doctor : *Ad utrumque gratiæ ſtatus requiritur. Hæc eſt eadem ſanctitas imperata : quod verò ad ſanctitatem conſilii pertinet, id agi debet ut ſemper creſcat.*

IV.

Ne nous flattons point. Pour la plûpart des Chrétiens, il n'y a gueres, moralement parlant, d'autre moyen de ſalut que la fréquente & très-fréquente Communion.

IV.

Ne decipiamus nos. Nulla ſunt vulgò, moraliter loquendo, plerìſque Chriſtianis ſalutis media quàm frequens & frequentiſſima Communio.

V.

Prêcher & faire pratiquer la Communion fréquente, c'eſt prêcher & faire pratiquer *toute* la Religion. Nous autres Prêtres & Paſteurs, nous ne ſommes que pour adminiſtrer les Sacremens.

V.

Prædicare & imperare praxim frequentis Communionis (nihil aliud) eſt quàm prædicare & imperare praxim totius *Religionis. Nos Sacerdotes & Paſtores, ſumus (Sacerdotes & Paſtores) tantùm ad adminiſtranda Sacramenta.*

VI.

Elle eſt donc commandée (la Communion fréquente) comme un moyen moralement néceſſaire au ſalut, comme le moyen le plus efficace pour le ſalut.

VI.

Imperata eſt igitur (Communio frequens) tanquam medium moraliter ſaluti neceſſarium, tanquam medium ſaluti efficaciſſimum.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus, ut falſas, ſcan-

daloſas, ad profanationem ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ Sacramenti inducentes, ac etiam erroneas; quatenùs ſtatuunt Religionem perfectam, pietatem ac pœnitentiam totas eſſe in uſu externo Communionis frequentis; atque ad eam frequentiam aſſerunt eas ſufficere diſpoſitiones quæ nec ſufficerent quidem ad communicandum ſemel.

REQUISITIO

D. Procuratoris ſanctæ Synodi, pro damnandis recentiorum Caſuiſtarum erroribus circà morum regulam.

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

DAMNATIS à ſanctâ Synodo *Pichonii* & aliorum erroribus circa diſpoſitiones ad Sacramenta cum fructu ſuſcipienda neceſſarias, reſtat adhuc alia errorum claſſis quos neceſſariò ad vos deferre muneris noſtri ratio poſtulat: illam dico fallacium opinionum illuviem quæ partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, non ſine magno omnium Chriſtianorum mœrore quotidiè audimus.

Quot ſcandala noſtis his præſertim temporibus exorta in Eccleſiâ ex iteratis editionibus librorum quorum doctrinam in Chriſtiani nominis dedecus commenti ſunt laxiores Theologi, ac præſertim ex editionibus Theologiæ moralis *Hermanni Buſembaum* à *Claudio Lacroix*, Societatis Jeſu, pluribus partibus auctæ, & Coloniæ typis datæ anno 1757; necnon & *Nicolai Mazotta*, ejuſdem Societatis Jeſu Theologo, Venetiis anno 1760 impreſſæ; item ex ſermone linguâ germanicâ edito à P. *Franciſco Neumayer*, Societatis Jeſu, in quo Probabiliſmi defenſionem ſuſcipit: quique Romæ damnatus die 29 Maii 1760, rursùs 3. Julii ſequentis ab illuſt. D. nunc Eminentiſſimo Cardinali *Migazzi*, Archiepiſcopo Viennenſi in Auſtriâ, prohibitus eſt.

Hujus doctrinæ ſingula capita, quam Clerus Gallicanus *infandam* vocat; ſi pro temporum & locorum circumſtantiis exponere & damnare non

ſicet, liceat tamen prava elementa unde tanquam ex amarâ radice proferuntur amari fructus, damnare; illam ſcilicet novam methodum quâ nullâ legis divinæ, quæ immutabilis eſt, habitâ ratione, temerarii homines tanquam tutiſſimam morum regulam indicant conſcientiam, aut Doctorum opinionem.

RELATIO X.

De erroribus recentiorum Caſuiſtarum circa morum regulam.

D. WYNANDUS-JOANNES BRONS, Paſtor Amisfurti, nec-non Seminarii Præſes digniſſimus, votum quartæ Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

CUM ſacra Synodus hanc Provinciam nobis detulerit, ut inveſtigaremus quid agendum expediret circa morum regulam his poſtremis temporibus pravâ ingeniorum licentiâ & ſubtilitate corruptam, ad munus noſtrum implendum, quæ ſequuntur proponenda duximus.

1°. Tam multi ſunt pravi iſti Caſuiſtæ & ad tanta malorum incrementa pervenit ſumma illorum licentia, ut ratio temporum & locorum ſinere non videatur omnes illas opiniones *chriſtianæ diſciplinæ relaxativas* ſingulatim attingere.

2°. Licet Summi Pontifices, celeberrimi orbis chriſtiani Paſtores primi & ſecundi ordinis, necnon celebriores Theologicæ Facultates, &c. pro officio ſuo, gliſcentem in dies novandi libidinem variis temporibus repreſſerint, mala pluries reſecta repullulant, quotidièque eduntur libri in quibus illæ opiniones animarum perniciem inferentes, partim antiquatæ, iterum ſuſcitantur, partim novæ prodeunt, præſertim à Theologis Societatis Jeſu (1), cujus membra, licet per omnes orbis angulos diſperſa, *idem omnes ſentiunt*, ut ipſi gloriantur (2),

(1) Id palam teſtantur ipſimet Jeſuitæ, Buſembaum & Lacroix, *Theologia moralis*; &c. Coloniæ 1757, Nic. Muzka de actib. hum. Viennæ Auſtriæ 1757, Mazotta, Venetiis. 1760. &c.

(2) Imago primi ſæculi Societatis Jeſu, Antuerpiæ 1640, cum facultate excudendi & publicandi librum, conceſſâ à *Joan. de Tollenare*, Provinciali Societatis Jeſu:

Latinus

Latinus & Græcus, *Luſitanus & Braſilus*, *Hibernus & Sarmata*, *Iber & Gallus*, *Britannus & Belga ; atque in tam diſparibus geniis .... nullum certamen*, *nulla contentio ; nihil ex quo ſentias plures eſſe.* Officium ergò hujuſce Synodi eſſe putamus ut vocem ſuam exaltet in viis Sion, his graviſſimis incommodis occurrat, quantum Dominus ex alto conceſſerit, & unanimitatem ſuam in ſpiritu caritatis tantis malis opponat, expectando fore ut tantum opus more majorum & canonico ordine ab omni Eccleſiâ tandem perficiatur. Jam enim, quaſi fruſtrà illas morum corruptelas damnarunt non unâ vice doctiores & ſanctiores Eccleſiæ Antiſtites, ac ipſa etiam Sancta Sedes, toto licet applaudente orbe chriſtiano; atque utinam ſanctiſſimi Pontifices Decretorum formulis antiquo

per Flandro-Belgiam, poteſtate ad hoc ipſi factâ à *Mutio Vittelleſco* Generali, cum tres Societatis Jeſu Theologi relegerint, & edi poſſe cenſuerint.

Idem videre eſt in Opere gallico idiomate exarato, cui titulus : *Remontrance à Monſeigneur l'Evêque d'Auxerre au ſujet de ſon Ordonnance & Inſtruction Paſtorale*, *portant condamnation de pluſieurs propoſitions extraites des cahiers dictés au College d'Auxerre par le P.* le Moine, *de la Compagnie de Jeſus*, *1726*, *avec permiſſion de N* ... Richebourg, *Provincial de la Compagnie de Jeſus*, *après que l'Ouvrage a été revu par trois Théologiens de ladite Compagnie.* » Graces à la bonté divine, l'eſprit qui anima les » premiers Jéſuites vit encore chez nous ; & par la même miſéricorde, nous eſpérons » ne le point perdre : & ce n'a pas auſſi été un léger témoignage en notre ſaveur, que » dans ces tems nébuleux *aucun de nous n'a varié ni chancelé. L'uniformité en ce point » ſera toujours égale* ». Id eſt : gratias divinæ bonitati, mens & indoles priorum Jeſuitarum adhuc apud nos vigent : ac eâdem miſericordiâ nos idem ingenium ad finem uſque ſervaturos eſſe confidimus : nec leve fuit noſtri conſensûs indicium, quod his in temporibus nebuloſis, *ne unus quidem ex noſtris variaverit, vel animo titubaverit. In hac parte ſemper conſtans erit uniformitas.*

Vide etiam *Inſtitutum Societatis Jeſu*, *auctoritate Congregationis generalis XVIII. meliorem in ordinem digeſtum*, *auctum*, *& recuſum*, Pragæ 1757.

Doctrinæ differentes non admittantur, nec verbo in concionibus vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris ; qui quidem edi non poterunt in lucem ſine approbatione atque conſenſu Præpoſiti generalis, qui eorum examinationem ſaltem tribus committat, ſanâ doctrinâ & claro judicio in eâ facultate præditis. Imò *& judiciorum de rebus agendis diverſitas*, quæ mater eſſe ſolet diſcordiæ, & inimica unionis voluntatum, quantum fieri poteſt, *evitari debet. Unio* verò & *conformitas* mutua diligentiſſimè curanda eſt, *nec*, *quæ ei adverſantur*, *permittenda.* Conſt. part. 3. c. 1. n. 18. p. 372.

Si quis aliquid ſentiret quod diſcreparet ab eo quod *ECCLESIA* & ejus Doctores communiter ſentiunt, ſuum ſenſum *definitioni ipſius Societatis* debet ſubjicere .... In opinionibus in quibus Catholici Doctores variant inter ſe vel contrarii ſunt, ut *conformitas* etiam in Societate ſit, curandum eſt. Ibid. Declar. in cap. 1. p. 375.

Curandum eſt ut *omnes* (ut plurimum) eandem doctrinam quæ in Societate fuerit electa, *ut melior & convenientior noſtris*, ſequantur. Conſt. p. 8. Declar. in caput. 1. p. 426.

Vide etiam Decret. 50. quintæ Congreg. n. 2. p. 556. &c.

Digitized by Google

ac probatiori uſu receptis quæ ad univerſas Eccleſias pertinerent, infandam doctrinam proſcripſiſſent! Fortaſsè metas poſuiſſent perniciofiſſimæ illi ac falſi nominis ſcientiæ, quâ inſtructi homines, ut olim Clerus Gallicanus loquebatur: *non jam accommodant mores ſuos ad Evangelicæ doctrinæ normam, ſed & ipſum potius regulam ac ſancta mandata ad cupiditates ſuas inflectunt ac detorquent: novâque & inani philoſophiâ chriſtianam diſciplinam in academicas quæſtiones, ac dubias fluctuanteſque ſententias vertunt* (1).

3°. Satis tamen videtur, veluti uno ictu, illas omnes opiniones damnari à Synodo, ſtatuendo veram & immutabilem morum regulam, legem ſcilicet & voluntatem Dei æternam, *cujus æquitas inflexibilis eſt* (2); cujus iota unum, aut unus apex non præteribit; quæque judicabit vivos & mortuos in noviſſimo die.

Cum ergò moralis chriſtiana (ut animadverterunt quatuor celeberrimi ætatis hujus Præſules) in duobus principiis tota vertatur, quorum unum mentem, alterum cor ſpectat; unum legem Dei tanquam facem nobis præfert, alterum ejus amorem nobis præſcribit, tanquam ſacrum illum ſpiritum quo vivimus & movemur, neceſſe videtur ut ſtabilitâ neceſſitate amoris Dei ſuper omnia ad cor corrigendum & convertendum ad Deum, regula morum & actionum noſtrarum pariter ſtatuatur. Sunt enim hæc duo principia adeo inter ſe connexa, ut, uno everſo, corruat etiam alterum. Etverò ſi Deus non eſt per ſe ultimus cordis noſtri & actionum noſtrarum finis, cur ille primaria vitæ noſtræ regula diceretur? Cur mens noſtra magis à veritate æternâ penderet, quàm à ſummâ bonitate cor noſtrum? Hinc maximo cum luctu Eccleſiæ, in hac ſæculorum fæce emerſerunt mendaces illi Doctores, *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (3), qui juſtitiam quandam amore Dei vacuam commenti, jugum etiam ſupremæ atque indeclinabilis legis fregerunt, ut alteram quamdam verſatilem, omnique cupiditatum generi accommodam inducerent.

» Jam non inveſtigatur (ait in Conventu Eccleſiaſtico quidam Car» dinalis celeberrimus *) quidnam ſit verum aut falſum; quidnam

(1) Epiſt. Conventus Cleri Gallic. ad Epiſc. Gall. præfixa editioni libri cui titulus: *Inſtructions de Saint Charles aux Confeſſeurs.*

(2) D. Caſtor. Conſt. 1668.

(3) 2. Tim. 3. 5.

* Card. Noall.

Digitized by Google

» jubeat aut vetet æterna veritas ; ſed tantùm quid ſit probabile aut non » probabile ; id eſt, ſepoſitâ lege Dei, ſolùm quæritur quid de divinis » mandatis effutiant homines : unde ſenſim morum doctrina in traditio- » nes hominum & phariſaica mandata dilabitur « (1).

Hinc initium malorum, hinc omnium corruptelarum caput, id eſt, hujuſce methodi quæ veritatem non jam tenens ut ſupremam & inconcuſſam morum noſtrorum normam, à pœnâ immunem jactitat quiſquis inſcienter, aut inattentè, aut erroneâ conſcientiâ inductus, aut quorumdam opinione quam *probabilem* vocant, deceptus, contrà legem peccaverit. Videre eſt etiam quoſdam qui *ponentes tenebras lucem*, auſi ſunt affirmare conſcientiam, etſi legi æternæ repugnantem, eſſe legem Dei ſecundariam, quam dicunt *reflexam ;* cujus legis beneficio, cœlum patet ei qui vetita quoad ſe patrat, ſed quæ falsò putat ut à Deo imperata. Hinc in ultimâ die, neſandi illi plurimos electos ſic appellantem Chriſtum inducunt : *Veni benedicte Patris mei, quia mentitus es, &c. invincibiliter putans me in tali caſu præcipere mendacium* (2).

De hoc horrendo ſyſtemate ſic augurabatur jam ab integro ſæculo acutiſſimus ac eruditiſſimus probabiliſmi inſectator (3) his verbis : » Nihil in totâ probabilitate perniciosiùs eſt quàm quod latiſſimum ad » omnem impietatem adytum pandit..... nemo illis quæ jam prodie- » runt opinionum portentis Eccleſiam defunctam putet : imminent alia » longè majora pericula ; nec hìc conſiſtet iſta pernicies. Tam latè fun- » duntur ſcelerati dogmatis rami, ut in totius Religionis apertè graſ- » ſentur exitium, & in omnium denique Religionum permixtionem » tendant. Caveant JESUITÆ, qui alios negatæ Incarnationis nefariè » accuſant, ne præter mentem & propoſitum ſuum (aiebat auctor ni- » miâ forſan benignitate) » quandoque dicantur DEISTARUM PRIN- » CIPES (4) «.

(1) Inter Oper. *Boſſueti*. tom. 20. p. 94. 95.

(2) *C. A. Caſnedi* è Societ. Jeſu criſis Theol. &c. Uliſſipone 1711. p. 176. 178. & ſeq.

Iſaac de Bruyn. ejuſd. Societ. Conſcientiam erroneam invincibiliter ſequi non tantum licet ; ſed etiam oportet. Theol. prop. Lovan. 1687. p. 14.

Buſembaum & *Lacroix*. Abſurdum eſt dicere quod voluntas mentiendi poſſit, per ſe loquendo, à Deo exigere præmium ; concedo : per accidens ſi mendacium repræſentetur ut bonum & obligatorium, nego. Theol. Moralis. Coloniæ 1757.

(3) *Nicole* in Epiſt. 5. Montal. ſect. 3. §. 5. n. 1.

(4) Conſule ſuprà doctrinam *Harduini* & *Berruyerii*, & D. Procuratoris circa hanc doctrinam requiſitionem.

Digitized by Google

Ut truncum & ramos hujus doctrinæ uno ictu radicitùs eruamus; admoveamus morum noſtrorum regulam, qualem exhibent Scriptura & Traditio, omnis & ſalutaris veritatis fontes ac morum diſciplinæ; qualemque exhibuerunt Summi Pontifices totque illuſtriſſimi Præſules, necnon Conventus Eccleſiaſtici, qui hanc morum luem, jam ab integro ſæculo, variis decretis depellere conati ſunt.

Ut Deus creator eſt hominum, ſic etiam eſt & magiſter & legiſlator & judex, ex cujus ſolâ voluntate promanant cujuſvis ordinis leges; per quem & *Reges regnant & legum conditores juſta decernunt* (1). Quævis igitur creatura rationalis ita à divinâ & æternâ lege pendet, ut nunquam ejus imperium effugere poſſit. Enimverò quidni de nobis dicatur quod de ipſis etiam Angelis dicit Auguſtinus: » ab eis, inquit, » conſulitur incommutabilis veritas tanquam lex æterna..... neque » enim ipſi ſunt veritas, ſed creatricis participes veritatis. Ad illam » moventur tanquam ad fontem vitæ, ut quod non habent ex ſe ipſis » capiant ex ipsâ « (2). Cum ergò ab ipſiſmet Angelis æterna veritas tanquam lex conſulenda ſit, quantò magis ab hominibus, præſertim lapſis, qui de ſeipſis non habentes *niſi mendacium & peccatum* (3), veritatem in ſemetipſis deprehendere nequeunt; & ſi præviâ ſuâ luce iter faciunt, paſſim à viâ vagantur (4). Nempè fruſtrà tentabunt deponere *veterem hominem qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*, niſi *novum* induerint, *qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis* (5). Hæc veritas, hæc æterna lex, quæ nihil aliud eſt quàm Deus ipſe, quid æquum, quid honeſtum ſit, ſola ſtatuit. In hoc jacet peccatum, ut huic legi diſſona aut dicamus, aut agamus, aut expetamus. *Peccatum* enim, inquit Auguſtinus, *eſt factum, vel dictum vel concupitum aliquid contra legem æternam* (6). De eâdem hac lege dicit Tertullianus: *nuſquam & nunquam excuſatur quod Deus damnat.* Unde illud

(1) Prov. 8. 15.

(2) S. Aug. de Civit. Dei. l. 16. c. 6. n. 1.

(3) Conc. Arauſ. 2. & Aug.

(4) Idem de verbis Apoſt. Serm. 166. n. 3. *Omnis homo mendax*.... qui loquitur veritatem, non de ſuo loquitur, ſed de Dei. Nam ſi ablata fuerit homini illuſtratio veritatis, remanebit tanquam nudus indumento luminis, & non poterit niſi mendacium loqui.

(5) Eph. 4. 22. 24.

(6) S. Auguſt. l. 22. contr. Fauſtum. c. 27.

Digitized by Google

axioma Theologicum : quidquid legi naturali adverſatur prohibitum eſt ; quia malum, non verò malum quia prohibitum.

Itaque quaſdam ex operibus Caſuiſtarum de quibus agitur propoſitiones excerptas, ſanctæ Synodi judicio relinquimus.

De ignorantiâ juris naturalis.

I.

Obſervatio legis naturalis poteſt eſſe impoſſibilis homini juſtificato : Ergò non peccat illam tranſgrediendo. Probatur antecedens. Poteſt puer baptiſatus à Barbaris rapi ; & cùm adeptus fuerit rationis uſum, legem naturalem invincibiliter ignorare, & ſimul contra illam agere ; quia tunc legis obſervatio eſt illi impoſſibilis. *Cabreſpine*, è Soc. Jeſu. Cod. dictat. in Collegio Ruthenenſi anno 1722.

II.

Eſt nunc certiſſimum quod ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, & pro ſtatu naturæ lapſæ, excuſet à peccato formali. Ita communiſſimè docent omnes (Caſuiſtæ) cum Moya. *R. P. Herm. Buſembaum, Soc. Jeſu, Theologia moralis, nunc pluribus partibus aucta, à R. P. Claudio Lacroix, Soc. Jeſu, &c.* tom. 1. p. 104. Coloniæ, 1757.

III.

De Deo communiter docetur quod non poſſit ignorari invincibiliter ; *ſaltem non diu.* Quod ſi ſupponamus invincibiliter ignorari verum & unicum Deum, contra hunc non peccabit formaliter Ethnicus *adorando idola.* Hinc etiam dicam ; ſi in aliquo homine daretur invincibilis ignorantia planè omnis Dei, talem hominem non peccaturum *theologicè*, ſed ad ſummum *philoſophicè.* Ibid.

IV.

Poſſibilis eſt (ignorantia invincibilis) relatè ad plures veritates ex illis primis legis naturalis principiis, mediatè ſaltem, nec adeò clarè deductas : puta quod non liceat ... occidere Judicem à quo certè imminet iniqua ſententia. *R. P. N. Mazotta*, è Soc. Jeſu, *Theologia moral. &c. ad mentem præcipuè R. P. Cl. Lacroix. &c.* t. 1. tract. 1. q. 2. p. 27. Venetiis, 1760.

De inadvertentiâ ad malitiam peccati.

V.

Nemo plus peccat niſi in quantum ſcit & intelligit malitiam peccati. *Cath. pro primâ Comm.* lec. 4. (ſuprà.)

V I.

Ut à Calvino, quantum poſſumus, recedamus, dicendum eſt nunquam poſſe peccari ſine advertentia ad malitiam, nunquam cum bonâ intentione. *Car. Ant. Caſnedi*, è Soc. Jeſu, *Criſis Theolog.* Uliſſip. 1711. Diſp. 8. ſect. 2.

V I I.

Cùm peccatum mortale ſit graviſſimum malum quo Deus offenditur uſque ad diſſolutionem amicitiæ, & homo redditur dignus æternæ gehennæ, dici non debet incurri, niſi ſit perfectè voluntarium; nec poteſt eſſe perfectè voluntarium, niſi ſit plena advertentia ad ejus malitiam. *Joan. Bapt. Taberna*, è Societ. Jeſu, *Synopſis Theol. practicæ*, *&c.* Tract. 3. c. 6. p. 141. 3. prop.

V I I I.

Ad peccatum mortale plena conſideratio malitiæ gravis requiritur..: quia, cùm peccato lethali diſſolutio amicitiæ divinæ & pœna æterna debeatur, alienum eſt à rectâ ratione credere, tanto & tam pleno ſupplicio hominem abſque plenâ & perfectâ conſideratione obnoxium fieri. *Richardus Arſdekin*, è Societ. Jeſu, *Theol. tripartita univerſa.* Colon. 1744. tom. 2. part. 2. tract. 1. c. 1. p. 80.

I X.

Ad contrahendum peccatum quodcunque, ſeu veniale, ſeu etiam mortale, non ſufficit habere ſcientiam habitualem de malitiâ actus, id eſt, non ſufficit cognoviſſe aliquando, verbi gratia, heri, vel ante complures dies, actum iſtum malum eſſe; ſed neceſſe eſt ut advertentia ſit actualis: & quidem tunc cùm actio voluntatis peccaminoſa committitur aut incipit committi. Imò nemo unquam dicendus eſt peccare eo momento quo non habet actualem cognitionem malitiæ moralis, etſi paulò antè præceſſerit. A peccato ergò excuſat actualis inadver-

tentia malitiæ in objecto. *Matth. Stoz*, è Soc. Jeſu, *Trib. pœnit.* Bamberg. 1756. l. 1. part. 5. q. 2. a. 1. n. 13. p. 342.

De conſcientiâ erronea.

X.

Men kan godniet grootelyks vergrammen als men ſinceerlyk ende opregtelyk meend dat 't geen groot quaad en is dat men doet. *Corn. haſart*, è Soc. Jeſu, *mag. Catech.* tom. 2. p. 456.

X.

Non poſſumus Deum offendere graviter, quando ſincerè & prorsùs putamus non magnum malum eſſe quod facimus.

X I.

Proxima regula humanæ actionis eſt conſcientia; lex enim divina & naturalis reſpicit operationes noſtras quatenus liberas. Libera autem eſt quando procedit à principio cognoſcente. Quare non imputabitur culpæ operatio quæ eſt contra legem naturalem aut divinam, niſi quatenus cognoſcitur à nobis ita eſſe. *Vincentius Fillucius*, è Soc. Jeſu. *Quæſt. mor.* Lug. 1633. tom. 2. tract. 21. c. 4. de conſc. n. 116.

X I I.

Conſcientia circa illicitum intrepida, excuſat à peccato. *P. Beon*, è Soc. Jeſu. Theſ. propug. Aquenſ. 1686.

X I I I.

Conſcientiæ dictamen eſt fallibile ſpeculativè, concedo. Practicè; nego... Unde homo honeſtè agit quando ſequitur id quod conſcientia dictat tanquam honeſtum, licet fortè non ſit. *P. Lemoine*, è Soc. Jeſu, l. 2. c. 1. lect. 3. art. 3. *De conſcientiâ.*

X I V.

Lex naturalis docet non quidem eſſe mentiendum, ſed conſcientiæ obtemperandum quæ ex invincibili ignorantiâ docere poteſt eſſe mentiendum. Idem. ibid. 1724.

X V.

Nihil autem eſt peccatum quod non ſit contra obligationem in conſcientiâ, eamque agnitam. *Nicolaus Muzka*, è Soc. Jeſu, *de Legib.* Viennæ-Auſtriæ, 1756. l. 2. diſp. 1. §. 1. n. 14. p. 324.

XVI.

Dum actu operamur ſecundum ultimum dictamen (conſcientiæ); certi ſumus quod ea operatio ſit licita, ſeu non ſit peccatum. *Buſemb. & Lacroix.* t. 1. l. 1. n. 52. cit. à *Nicol. Mazotta*, è Soc. Jeſu. *Theol. mor. ad mentem præcipuè R. P. Claudii Lacroix.* Venetiis, 1760. tom. 1. tract. 1. de conſc. rectâ. diſp. 1. q. 1. c. 1. p. 4.

XVII.

Neque dicas primò legem Dei eſſe primariam regulam: nam hæc non applicatur niſi per dictamen conſcientiæ.... Quandoque actus eſt contra aliquam legem, & tamen eſt formaliter bonus; ſi nimirùm proponatur per conſcientiam invincibiliter erroneam, ut conformis legi putatæ. *Nicolaus Mazotta*, è Societate Jeſu. Ibid. cap. 11. p. 5.

XVIII.

Licitum eſt agere juxta conſcientiam invincibiliter erroneam. Et ità communiſſimè Doctores Catholici contra Luther. Janſ. Synnich & aliquos Doctores Lov. Hinc non peccat qui mentitur, invincibiliter putans eſſe licitum mendacium jocoſum; qui ſe polluit, invincibiliter putans id non eſſe illicitum; qui accelerat mortem agentis animam, putans eum ſic alleviari à cruciatu. Ibid. p. 32.

XIX.

Conſcientiam erroneam invincibiliter ſequi non tantùm licet, ſed etiam oportet. *Iſaac de Bruyn Theol.* &c. Lov. 1687. p. 14.

XX.

Abſurdum eſt dicere quod voluntas mentiendi poſſit *per ſe* loquendo à Deo exigere præmium, concedo. *Per accidens*, ſi mendacium invincibiliter repræſentetur ut bonum & obligatorium, nego. *Buſemb. & Lacroix.* ſuprà. t. 1. p. 4. 1757.

De opinione probabili.

XXI.

Licitum eſt ſequi ſententiam alienam & minus probabilem contra propriam

propriam probabiliorem ; etiam retentam. *Matthæus Stoz*, è Soc. Jeſu. *Tribun. pœnit.* Bamberg. 1756. l. 1. part. 5. q. 2. a. 3. n. 112.

X X I I.

Etiam in adminiſtratione Sacramentorum licitum eſt ſequi minus probabilia, relictis probabilioribus. Idem. ibid. n. 118.

X X I I I.

Si in materiâ morum occurrant duæ opiniones certò probabiles ; non datur obligatio ſemper ſequendi probabiliorem & tutiorem. Licet proinde aliquando agere ſecundum minùs probabilem, ac etiam minùs tutam. *Nic. Muſzka*, è Soc. Jeſu, *de actib. humanis.* Viennæ Auſtriæ. 1757. l. 1. p. 366.

X X I V.

Abſque peccato licet ſequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minus tutam (hoc eſt, quæ minus remota videatur ab omni ſpecie peccati quàm altera,) relictâ probabiliore & tutiore propriâ, ſeclusâ tamen omni injuriâ & periculo proximi ; & dummodo opinio quæ eligitur adhuc ſit probabilis. *Buſemb. & Lacroix.* ſuprà. 1757. t. 1. p. 11.

X X V.

Quær. Quibus argumentis probetur licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore ?

Reſp. ſeqq. &c.

§. 1. Auctoritate SS. Canonum & Pontificum ... ;

§. 2. Communi conſenſu Doctorum ... Accedunt .... item Auctores *ferè omnes* è Societate Jeſu. Ibid. tom. 1. p. 34.

X X V I.

Non peccat qui operatur juxtà opinionem minùs probabilem de licentiâ actionis, relictâ probabiliore & tutiore. Ita Doctores communiſſimè pluſquam 200 apud Teril. Gob. & Lacroix.... contra paucos antiquiores & rigidiſſimos probabilioriſtas. *Nic. Mazotta*, è Soc. Jeſu, ſuprà. 1760. tom. 1. tract. 1. q. 4. c. 4. p. 55.

Digitized by Google

DECRETUM X.

Declarat ſancta Synodus :

I.

Legem æternam in omnium mentibus naturaliter inſitam, nonniſi propter cæcitatem & corruptionem cordis ignorari poſſe : proindeque hujuſcemodi ignorationem propriè, plenè & omninò nunquam in adultis, rationis uſu fruentibus, invincibilem eſſe, nec à peccato excuſare. Unde cum lacrimis dicebat Pſalmiſta : *delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris* (1). *Quod genus delictorum, ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis* (2).

II.

Cùm legis naturalis ignoratio à peccato non eximat, multò minus ſimplicem *inadvertentiam*, ſeu *non reflexionem* ad peccati malitiam excuſare. Unde quidquid diſconveniens eſt naturæ rationali & rectæ rationi in adulto qui, deliberatè agens, vel Deum ignoraret, vel de Deo actu non cogitaret, eſt formale peccatum ac offenſa Dei, & non merum, ut aiunt, peccatum philoſophicum.

III.

Conſcientiam falſam & erroneam, quantumvis intrepidam, nunquam excuſare à peccato, quotieſcunque legi æternæ adverſatur. *Eſt* enim *via quæ videtur homini recta, & noviſſima illius deducunt ad mortem* (3). Itaque *ſive malum pu-*

(1) Pſal. 24.
(2) S. Aug. l. 1. oper. imperf. c. 105.
(3) Prov. 5. 4.

Digitized by Google

tes bonum quod fortè agis, ſive bonum, malum quod operaris; utrumque peccatum eſt (1).

I V.

Cum nulla poſſit eſſe vera, recta & tuta opinio, ſi à veritate diſſentiat, licet à graviſſimis viris teneatur; *cæcus* enim *ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent* (2); ſummoperè cavendum ne opinio falſa & legi naturali oppoſita, ſed quæ videtur probabilis, in praxi tuta cenſeatur: vel in delectu opinionum minus tuta tutiori, minus probabilis probabiliori, minus probabilis & minus tuta tutiori & probabiliori præferatur. *Lex* enim Dei *veritas* (3), non conſuetudo, non probabilitas, non Magiſtrorum opinio.

Itaque damnat ſancta Synodus propoſitiones ſibi denuntiatas, nempè:

De ignorantiâ juris naturalis.

I.

Obſervatio legis naturalis poteſt eſſe impoſſibilis homini juſtificato. Ergò non peccat illam tranſgrediendo. Probatur antecedens. Poteſt puer baptiſatus à Barbaris rapi, & cùm adeptus fuerit rationis uſum, legem naturalem invincibiliter ignorare, & ſimul contra illam agere; quia tunc legis obſervatio illi eſt impoſſibilis.

I I.

Eſt nunc certiſſimum quod ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, & pro ſtatu naturæ lapſæ, excuſet à peccato formali. Ita communiſſimè docent omnes (Caſuiſtæ) cum Moya.

(1) S. Bern. l. de præc. & diſp. c. 14.
S. Aug. Ep. 47. n. 4.
(2) Matth. 15. 14.
(3) Pſal. 118.

Digitized by Google

III.

De Deo communiter docetur quod non poſſit ignorari invincibiliter, *ſaltem non diù.* Quod ſi ſupponamus invincibiliter ignorari verum & unicum Deum, contra hunc non peccabit formaliter Ethnicus *adorando idola.* Hinc etiam dicam, ſi in aliquo homine daretur invincibilis ignorantia planè omnis Dei, talem hominem non peccaturum *theologicè*, ſed ad ſummum *philoſophicè.*

IV.

Poſſibilis eſt (ignorantia invincibilis) relatè ad plures veritates ex illis primis legis naturalis principiis, mediatè ſaltem, nec adeò clarè deductas : puta quod non liceat... occidere Judicem à quo certò imminet iniqua ſententia.

De inadvertentiâ ad malitiam peccati.

V.

Nemo plus peccat niſi in quantum ſcit & intelligit malitiam peccati.

VI.

Ut à Calvino, quantum poſſumus, recedamus, dicendum eſt nunquam poſſe peccari ſine advertentia ad malitiam, nunquam cum bonâ intentione.

VII.

Cùm peccatum mortale ſit graviſſimum malum quo Deus offenditur uſque ad diſſolutionem amicitiæ, & homo redditur dignus æternæ gehennæ, dici non debet incurri, niſi ſit perfectè voluntarium ; nec poteſt eſſe perfectè voluntarium, niſi ſit plena advertentia ad ejus malitiam.

VIII.

Ad peccatum mortale plena conſideratio malitiæ gravis requiritur... quia cùm peccato lethali diſſolutio amicitiæ divinæ & pœna æterna debeatur, alienum eſt à rectâ ratione credere, tanto & tam pleno ſupplicio hominem abſque plenâ & perfectâ conſideratione obnoxium fieri.

Digitized by Google

I X.

Ad contrahendum peccatum quodcunque, ſeu veniale, ſeu etiam mortale, non ſufficit habere ſcientiam habitualem de malitiâ actus, id eſt, non ſufficit cognoviſſe aliquando, verbi gratia, heri, vel ante complures dies, actum iſtum malum eſſe; ſed neceſſe eſt ut advertentia ſit actualis, & quidem tunc cum actio voluntatis peccaminoſa committitur aut incipit committi. Imò nemo unquam dicendus eſt peccare eo momento quo non habet actualem cognitionem malitiæ moralis; etſi paulò antè præceſſerit. A peccato ergò excuſat actualis inadvertentia malitiæ in objecto.

De conſcientiâ erronea.

X.	X.
Men kan godniet grootelyks vergrammen als men ſinceerlyk ende opregtelyk meend dat 't geen groot quaad en is dat men doet.	*Non poſſumus Deum offendere graviter, quando ſincerè & prorsùs putamus non magnum malum eſſe quod facimus.*

X I.

Proxima regula humanæ actionis eſt conſcientia; lex enim divina & naturalis reſpicit operationes noſtras quatenus liberas. Libera autem eſt quando procedit à principio cognoſcente. Quare non imputabitur culpæ operatio quæ eſt contra legem naturalem aut divinam, niſi quatenus cognoſcitur à nobis ita eſſe.

X I I.

Conſcientia circa illicitum intrepida, excuſat à peccato.

X I I I.

Conſcientiæ dictamen eſt fallibile ſpeculativè, concedo. Practicè, nego... Unde homo honeſtè agit quando ſequitur id quod conſcientia dictat tanquam honeſtum, licet fortè non ſit.

X I V.

Lex naturalis docet non quidem eſſe mentiendum, ſed conſcientiæ obtemperandum quæ ex invincibili ignorantiâ docere poteſt eſſe mentiendum.

X V.

Nihil autem eſt peccatum quod non ſit contra obligationem in conſcientiâ, eamque agnitam.

X V I.

Dum actu operamur ſecundum ultimum dictamen (conſcientiæ), certi ſumus quod ea operatio ſit licita, ſeu non ſit peccatum.

X V I I.

Neq. dicas primò legem Dei eſſe primariam regulam : nam hæc non applicatur niſi per dictamen conſcientiæ ... quandoque actus eſt contra aliquam legem, & tamen eſt formaliter bonus ; ſi nimirùm proponatur per conſcientiam invincibiliter erroneam ut conformis legi putatæ.

X V I I I.

Licitum eſt agere juxta conſcientiam invincibiliter erroneam. Et ità communiſſimè Doctores Catholici contra Luther. Janſ. Synnich & aliquos Doctores Lov. Hinc non peccat qui mentitur, invincibiliter putans eſſe licitum mendacium jocoſum ; qui ſe polluit, invincibiliter putans id non eſſe illicitum ; qui accelerat mortem agentis animam, putans eum ſic alleviari à cruciatu.

X I X.

Conſcientiam erroneam invincibiliter ſequi non tantùm licet, ſed etiam oportet.

X X.

Abſurdum ~~eſt dicere quod voluntas mentiendi poſſit~~, *per ſe* loquendo, à Deo exigere præmium, concedo. *Per accidens*, ſi mendacium invincibiliter repræſentetur ut bonum & obligatorium, nego.

De opinione probabili.

X X I.

Licitum eſt ſequi ſententiam alienam & minus probabilem contra propriam probabiliorem, etiam retentam.

XXII.

Etiam in adminiſtratione Sacramentorum licitum eſt ſequi minus probabilia, relictis probabilioribus.

XXIII.

Si in materiâ morum, occurrant duæ opiniones certò probabiles; non datur obligatio ſemper ſequendi probabiliorem & tutiorem. Licet proinde aliquando agere ſecundum minùs probabilem, ac etiam minus tutam.

XXIV.

Abſque peccato licet ſequi opinionem probabilem etiam alienam & minùs tutam (hoc eſt quæ minùs remota videatur ab omni ſpecie peccati, quàm altera) relictâ probabiliore & tutiore propriâ, ſeclusâ tamen omni injuriâ & periculo proximi; & dummodo opinio quæ eligitur adhuc ſit probabilis.

XXV.

Q. Quibus argumentis probetur licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore?

Reſp. ſeq. &c.

§. 1. Auctoritate SS. Canonum & Pontificum...

§. 2. Communi conſenſu Doctorum... Accedunt.... item Auctores *ferè omnes* è Societate Jeſu.

XXVI.

Non peccat qui operatur juxta opinionem minus probabilem de licentiâ actionis, relictâ probabiliore & tutiore. Ita Doctores communiſſimè pluſquam 200 apud Teril. Gob. & Lacroix... contra paucos antiquiores & rigidiſſimos probabilioriſtas.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus tanquam falſas, ſcandaloſas, erroneas, Legis æternæ & totius moralis Evangelicæ deſtructivas.

Cùmque ex his tanquam ex radice profluat illuvies illa innumerabilium opinionum fallacium quâ facies totius pariter

Digitized by Google

Eccleſiæ immutata & commaculata videtur (1); damnat ſancta Synodus omnes illas opiniones quæ quotidiè repullulant, quæque à ſatis notâ Societate, velut novum Religionis corpus gregatim & concorditer propugnantur circa virtutes theologicas, & cætera Decalogi præcepta, diſpoſitioneſque ad Sacramenta ſuſcipienda; ac ſpeciatim circa ſimoniam, blaſphemiam, ſacrilegium, magiam, aſtrologiam, irreligionem, idololatriam, impudicitiam, perjurium, Judicum prævaricationes, furtum, compenſationes occultas, homicidium, parricidium, ſuicidium, regicidium, &c. eaſque omnes damnat quæ jam damnatæ ſunt à Summis Pontificibus Alexandro VII, Innocentio XI & Alexandro VIII, nec-non ab illuſtrioribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac celebrioribus Theologiæ Facultatibus tùm Belgii tùm Galliæ, quibus adhæret ſancta Synodus; eorumque cenſuras, in quantum opus eſſet, renovat & amplectitur.

INSTANTIA

D. Procuratoris ſanctæ Synodi, pro damnandâ doctrinâ Caſuiſtarum circa debitum principibus obſequium.

REVERENDISSIMI PATRES, AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

INTER deteſtanda Caſuiſtarum dogmata jam cenſuris notata, unum eſt ad quod potiſſimum attendere, cuique reclamare debemus. Nihil enim ſanctæ quam profitemur Religioni majus dedecus, graviuſque detrimentum afferre poteſt: dogma, inquam, abominandum, quod ſequendo, cuique homini licet obedientiam detrahere Poteſtati à Deo ordinatæ, quodque docet incidere interdum cauſas, ubi non peccat

(1) Vinc. Lirin. comm. c. 3.

qui

Digitized by Google

qui vitæ Regum inſidiatur. Hanc doctrinam vidimus ipſi, noſtris temporibus, non ſolum renovatam, ſed iteratis facinoribus confirmatam, quæ horrendum in modum execratus eſt univerſus orbis, quæque meminiſſe ſemper horrebit.

Itaque noſtrum eſt peculiariter, qui ſemper omnem & perfectam omni Poteſtati à Deo ordinatæ obedientiam profeſſi ſumus, teſtificari palàm quantum hæc ſcelera deteſtemur, ſimul & eos qui hæc conficienda moliuntur.

RELATIO XI.

Circa debitum Principibus obſequium.

D. JOANNES-BAPTISTA-EUGENIUS GYSELINCK, ad Sanctum Vitum, in Hilverſum, Paſtor vigilantiſſimus, votum ejuſdem Congregationis exponens, dixit:

REVERENDISSIMI PATRES AC VIGILANTISSIMI PASTORES.

LICET non intendat ſancta Synodus omnes omninò circa deteſtandam Caſuiſtarum doctrinam propoſitiones quæ ad mores ſpectant, ſingillatim proſequi, attamen videtur notandam vobis eſſe neceſſariò hanc eorum doctrinæ moralis partem, quâ non ſolùm cauſas prætexunt ſolvendi ſubditos debitâ Poteſtatibus obedientiâ, ſed etiam proferre auſi ſunt, incidere caſus in quibus licet vitæ earum inſidiari. Unâ eâdemque audaciâ, & in primam Majeſtatem, quæ Deus eſt, & in ſublimiores Poteſtates, quæ *ſecunda Majeſtas* nuncupantur, Vicariamque à Deo poteſtatem in temporalibus ſortitæ ſunt, inſurgitur. Inde tot libri olim & nuper in lucem editi nihil niſi furorem fanaticum ſpirantes. Hinc tam variæ à recentioribus Magiſtris excogitatæ artes, non ut ſubditis obedientia, ſed cujuſvis potiùs auctoritatis contemptus ſuadeatur: nempè ſuperbi illi & elati homines, nulli, niſi fortè propter iram, ſive Papæ, ſive Præſuli, ſive Regi, ſive Judici, parere volunt, *dominationem ſpernunt, Majeſtatem blaſphemant* (1), Principibus Populi maledicunt (2). Inde etiam horrenda illa tot Caſuiſtarùm impudentia

(1) Jud. 8.
(2) Exod. 22. 28.

Digitized by Google

qui Chriſtos Domini ſicariis necandos permittunt, quoties illis venit in mentem, ſe aut Populum tyrannicè oppreſſos, vel Fidem ſub injuſto Principe in periculum adduci.

Quibus ex principiis ſuas de regicidio opiniones hauſerint, quoſque iſti ignotos antiquitùs fontes aperuerint, breviter indicare juvat. Primùm, ſi eis fides adhibeatur, Papa Reges è ſolio detrudendi jus habet; jus habent Nationes tyrannos ſuos occidendi; deinde præcipit Chriſtianis lex divina, ne eum imperare ſibi ſinant quem alieni cultus ſuaſorem noverint. Quid multa? Quod exquiſitiſſimum ipſi ſoli repererunt: ſi famæ, ſi bonorum vel leviſſimorum detrimentum immineat, non ſecùs ac ſi vitæ diſcrimen agatur, nocentem occidere tibi licebit; immò ſi aggreditur te Rex tuus, Rex mactetur. Sola tam nefandarum impietatum expoſitio tanto horrore percutit animum, ut confutatione prorsùs non indigeant.

Quantùm diſcrepat hæc ſeditioſa doctrina ab apoſtolicis documentis priorumque Chriſtianorum exemplo! Quam aliena à Salvatoris noſtri manſuetudine ac præceptis, qui *cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti ſe injuſtè* (1); qui jubet ut *quæ Cæſaris ſunt Cæſari* (2) reddantur; qui ſuo & Miniſtrorum ſuorum nomine dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo* (3)! Quiſquis ergò à Domino Deo noſtro ejuſque Eccleſiâ inſtitutus eſt, abſit ut malitioſa hominum mente corruptorum inventa ſanctiſſimæ Fidei noſtræ præponat. Hæc Eccleſia Catholica ſemper horruit, hæc & nos cùm Anteceſſoribus noſtris deteſtari non deſinemus: ab eis nempè edocti *quod ipſiſſima catholicæ fidei regula ſit ab initio etiam naſcentis ac primitivæ Eccleſiæ uſurpata, & ad poſteros traditione dilapſa uſuque ac conſuetudine recepta, ut catholici Superioribus ac Magiſtratibus Patriæ in quâ habitant & tolerantur, in iis omnibus quæ conſcientiam non lædunt, fideliter obediant* (4).

Inter innumeras quas ſanctæ Synodo offerre poſſemus propoſitiones, maximè circa regicidium, perpaucas tantùm damnandas ſelegimus.

(1) 1. Pet. 2. 23.
(2) Matth. 22. 21.
(3) Luc. 18. 36.
(4) Deductio brevis & modeſta de privato catholicæ Religionis exercitio in Fœd. Belgii Provinciis tolerato poſt annum 1640, Magiſtratibus oblata à quibuſdam Canonicis Ultrajectinis.
Hanc videre eſt in Tractatu hiſtorico de Capitulo Ultraject. n. 23. p. 313.

Tanta eſt inter Caſuiſtas in malum conſpiratio, ut qui nonnullos audit, omnes audiat.

I.

Clericos civilibus legibus non obligari directè ſeu præcisè ex virtute ipſarum legum aut Poteſtatis legiſlatricis civilis; quippe à quâ omni jure prorsùs exempti ſunt. *Paulus Layman*, è Soc. Jeſu, *Theol. moral.* l. 1. tr. 4. *de Legibus*, cap. 13. n. 6.

I I.

Quæ de tributis Apoſtolus memorat, pertinent ad illos qui poteſtati ſæculari ſubjiciuntur; non autem ad non ſubjectos.... Sic & Clerici pendere non debent, quia non ſunt civili Magiſtratui ſubjecti. *Jacob. Gretſer*, è Societ. Jeſu, opera omnia, &c. tom. 7. l. 1. conſid. p. 477. col. 1. & 2. litt. D & E. Ratisbonæ, 1736.

I I I.

Ut Principes ſibi ſubdant Clerum quoad bona & perſonas ſuas, id ſine animæ diſpendio fieri nequit. Nam & Principes peccant qui hæc tentant; peccatque Clerus tanquam eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis à Deo ſibi conceſſæ proditor. Idem, ibid. p. 468. col. 1. litt. D.

I V.

Tam timidi & trepidi non ſumus, ut aſſerere palam vereamur, Rom. Pontificem poſſe, ſi neceſſitas exigat, ſubditos Catholicos ſolvere juramento fidelitatis, ſi Princeps tyrannicè illos tractet, veramque Religionem extirpet: & addimus: ſi hoc à Pontifice prudenter & circunſpectè fiat, eſſe opus meritorium. Idem, tom. xj, *Defenſio Societatis Jeſu* Ratisbonæ, 1738. *Veſpertilio hæreticus*, p. 882. col. 2.

V.

Ad defenſionem vitæ & integritatis membrorum, licet etiam *filio*, *religioſo* & *ſubdito* ſe tueri, ſi opus ſit, cum occiſione contra ipſum *parentem*, *Abbatem*, *PRINCIPEM*, niſi *fortè*, propter mortem hujus ſecutura eſſent nimis magna incommoda, ut bella, &c. *Sylv. Bonac.* p. 8. *Herm. Buſembaum & Lacroix*, è Soc. Jeſu, *Theologia moralis*, &c. Coloniæ, 1757, tom. 1. p. 295. n. 98.

V I.

Quodcunque quis, juxta ſupradicta, habet jus alium occidendi, id poteſt etiam alius pro eo præſtare: cùm id ſuadeat caritas. *Fill. Tann.* Diſp. 4. q. 8. *Molina*, D. 18. &c. *Herm. Buſembaum* & *Lacroix*, ibid.

V I I.

Si injuſtus agreſſor ſit *Princeps*, qui ſit maximè neceſſarius Reipublicæ, ita ut ex ejus morte multa bella & diſſenſiones ſequerentur, tenetur aggreſſus non adeò utilis pati mortem ad bonum commune, ex pietate tamen, non ex juſtitiâ. Unde non eſſet injuſtus homicida, ſi illum occideret. Reliquos autem etiam *Dominum*, *Parentem*, *Principem*, omninò licitè occideret. *Nicol. Mazotta*, ſuprà 1760. tom. 2. tract. 4. Diſp. 2. q. 3. c. 1. p. 329. 330.

V I I I.

Si amiſſio ſit etiam unius aurei, imò etiam acûs, ſine quâ tamen non poſſet quis ſe ſuſtinere, poteritis furem, ut ſuprà, occidere. *Nicol. Mazotta*, ibid.

I X.

Jus naturæ permittit ut vim vi repellas, & aggreſſorem qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honeſtè agendam tibi ſunt neceſſaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias & occidas; ita tamen ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Herm. Buſembaum* & *Lacroix*, ſuprà, 1757. tom. 1. p. 295. n. 98.

DECRETUM XI.

Cùm, docente Scripturâ ſacrâ, *qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtat, & damnationem ſibi acquirat* (1), Miniſtris Chriſti ſatis commendare non poteſt ſancta Synodus, ut Fideles ſummoperè & aſſiduè doceant:

(1) Rom. 13. 2.

Digitized by Google

I.

Ex Apoſtolo *omnem animam Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe* (1) debere : quod ideo *Sacerdotibus etiam & Monachis imperatur , non Sæcularibus tantùm* (2).

II.

Hic ſolùm legem obſequii non vigere , ubi mandata Principis cum divinis præceptis pugnant : quo caſu *non utique contemnunt Poteſtatem , ſed eligunt majori ſervire* (3).

III.

Neceſſe eſſe nos Dominis noſtris ſubditos eſſe , *non tantum bonis & modeſtis , ſed etiam diſcolis* (4) ; *non ſolum propter iram , ſed etiam propter conſcientiam* (5).

IV.

Omnes , nullo excepto, *etſi ſit Apoſtolus , etſi Evangeliſta & Propheta , etſi quivis alius* (6) , debere illis *tributum , vectigal , timorem , honorem* (7) & obedientiam.

V.

Precibus incumbendum *pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt , ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate* (8).

(1) Rom. 13. 1.
(2) S. Chryſ. Hom. 23. in Epiſt. ad Rom.
(3) S. Aug. Serm. 62. de verbis Evang.
(4) 1. Pet. 2. 18.
(5) Rom. 13. 5.
(6) S. Chryſoſt. ſuprà.
(7) Rom. 13. 7.
(8) 1. Tim. 2. 2.

Digitized by Google

VI.

Principes auctoritatem ſuam immediatè à Deo ſolo acceptam referre ; nullâque aliâ in terris Poteſtate, etiam ſpiritali, ſive directè, ſive indirectè, aut Principem deſtitui, aut ſubditos fidelitatis ſacramento, quâcunque de causâ, ſolvi poſſe.

VII.

Omni execratione dignos eſſe, quicunque leges tùm divinas, tùm humanas, ac ſacratiſſima ſecundæ Majeſtatis jura conculcantes, non timent *mittere manum* ſuam *ut occidant Chriſtos Domini*, quorum *ſanguis ſuper caput* (1) eorum ; & non tantum eos qui hoc nefandiſſimum ſcelus admittunt, ſed & qui jubent, vel ſuadent, vel certis caſibus licitum docent.

Itaque damnat ſancta Synodus propoſitiones ſibi denuntiatas, nempè :

I.

Clericos civilibus legibus non obligari directè ſeu præcisè ex virtute ipſarum legum, aut poteſtatis legiſlatricis civilis : quippe à quâ omni jure prorsùs exempti ſunt.

II.

Quæ de tributis Apoſtolus memorat, pertinent ad illos qui Poteſtati ſæculari ſubjiciuntur ; non autem ad non ſubjectos... Sic & Clerici pendere non debent, quia non ſunt Civili Magiſtratui ſubjecti.

III.

Ut Principes ſibi ſubdant Clerum quoad bona & perſonas ſuas, id ſine animæ diſpendio fieri nequit. Nam & Principes peccant, qui hæc tentant ; peccatque Clerus, tanquam eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis à Deo ſibi conceſſæ proditor.

(1) 2. Reg. 1. 14. 16.

Digitized by Google

I V.

Tam timidi & trepidi non ſumus, ut aſſerere palàm vereamur, Romanum Pontificem poſſe, ſi neceſſitas exigat, ſubditos Catholicos ſolvere juramento fidelitatis, ſi Princeps tyrannicè illos tractet, veramque Religionem extirpet : & addimus : ſi hoc à Pontifice prudenter & circunſpectè fiat, eſſe opus meritorium.

V.

Ad defenſionem vitæ & integritatis membrorum, licet etiam, *filio*; *Religioſo* & *Subdito*, ſe tueri, ſi opus ſit, cum occiſione contra ipſum *Parentem*, *Abbatem*, *PRINCIPEM*, niſi *fortè* propter mortem hujus ſecutura eſſent nimis magna incommoda, ut bella, &c. *Sylv. Bonac.* p. 8.

V I.

Quodcunque quis, juxta ſupradicta, habet jus alium occidendi, id poteſt etiam alius pro eo præſtare ; cùm id ſuadeat caritas.

V I I.

Si injuſtus aggreſſor ſit *Princeps* qui ſit maximè neceſſarius Reipublicæ, ita ut ex ejus morte multa bella diſſentiones ſequerentur, tenetur aggreſſus non adeò utilis, pati mortem ad bonum commune ; ex pietate tamen, non ex juſtitiâ. Unde non eſſet injuſtus homicida ſi illum occideret. Reliquos autem etiam *Dominum*, *Parentem*, *Principem*, omninò licitè occideret.

V I I I.

Si amiſſio ſit etiam unius aurei, imò etiam acûs, ſine quâ tamen non poſſet quis ſe ſuſtinere, poteritis furem, ut ſuprà, occidere.

I X.

Jus naturæ permittit ut vim vi repellas, & aggreſſorem qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honeſtè agendam tibi ſunt neceſſaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias & occidas ; ita tamen ut id fiat animo te defendendi & cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Has propoſitiones damnat ſancta Synodus ut falſas, ſcan-

dalosas, ſeditioſas; ordini caritatis divinitùs inſtituto ac juri naturali, divino poſitivo & gentium contrarias, nefandis cædibus & fanatiſmo viam ſternentes, Societatis humanæ perturbativas, rebus publicis injurioſas, Regum quoque & Principum vitæ præſentiſſimum periculum inferentes.

Ut autem præceptum apoſtolicum accuratiùs adimpleamus, omnibus Paſtoribus injungit ſancta Synodus, ut & ipſi orent, & Parochianos ſuos impensè adhortentur ad preces aſſiduas & fervidas coram Deo fundendas pro potentiſſimis Dominis noſtris, ac pro pace & tranquillitate publica.

DECRETUM XII.

Sancta Synodus *in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti* congregata, *cum virtute Domini noſtri Jeſu*, memor hujus apoſtolici moniti : *Si is qui frater nominatur .... eſt maledicus* (1), &c. & rursùs : *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum* (2).

Judicat eos qui in poſterum (quod Deus avertat) adulterantes verbum Dei, *pertinaciter* tuerentur omnes aut quoſdam ex erroribus & hæreſibus à ſanctâ Synodo damnatis, indignos eſſe participatione Sacramentorum, donec *expurgato veteri* errorum *fermento, Paſcha noſtrum immolare & epulari poſſint, non in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis* (3).

(1) 1. Cor. 2. 6.
(2) 2. Joan. 10. 11.
(3) 1. Cor. 7. 8.

ACTA

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA

Synodi Provinciæ Metropolitanæ Ultrajectenſis.

PARS TERTIA.

Decreta diſciplinæ circa ſeptem Eccleſiæ Sacramenta.

De Sacramento Baptiſmi.

I.

CUM per benignitatem Dominorum noſtrorum temporalium nobis jam liberum ſit in Eccleſiis noſtris baptiſare, volumus ſecundùm ritum Eccleſiæ Catholicæ neminem alibi baptiſari quàm in Eccleſiâ, niſi gravis cauſa aliud exigat.

II.

Summi momenti eſt ut nomina baptiſatorum in regiſtro ad hoc deſtinato inſcribantur. Ideoque ſacer hic Conventus præcipit ut habeant Paſtores, vel qui Paſtorum vices gerunt in hiſce Provinciis Regulares, regiſtri hujus accuratum exemplar, in quo ſummâ diligentiâ annotent juxta hanc formam baptiſatos : *die... menſis ... anni ... baptiſatus eſt N. filius legitimus N. & N. conjugum ; ſuſcipiente N. à me N.N. Parocho*, &c. Et ſi infans ſit illegitimus, illud annotent ; ſuumque catalogum ſingulis annis, cum ſacra olea petunt, per Archipresbiterum in integro folio ad Epiſcopum deferant ſervandum.

III.

Cùm hæc Eccleſia proprium non habeat Rituale, & Re-

verendiſſimus ac piæ memoriæ Præſul Rovenius adaptaverit Rituale Romanum, atque ediderit, ad commodiorem uſum Sacerdotum, Rituale contractum ſive abbreviatum, quod & Succeſſor Neercaſſelius confirmavit; ſacer hic Conventus præcipit ut omnes Sacerdotes, ſive Sacramentum Baptiſmi, ſive alia Sacramenta adminiſtrent, ſive benedictiones aliquas faciant, non alio utantur, pro hoc tempore, quàm Romano. Et ſi pro commoditate ſuâ prædicto compendio uti velint, tamen in dubiis ad ipſum Rituale Romanum recurrant ſemper, ſicuti huc usque in uſu fuit.

I V.

Optandum ſummoperè eſt, ut Fideles ſolidè inſtruantur de effectibus Sacramenti Baptiſmi, & de obligationibus in eo contractis; ut *agnoſcant* in ſe *dignitatem* filiorum Dei, & nolint *in veterem vilitatem degeneri converſatione redire* (1); utque ſæpiùs cum ſummâ gratitudine tanta à Deo accepta beneficia recolant. Quam ob cauſam ſancta hæc Synodus hortatur omnes curam animarum gerentes, & jubet ut ſedulò in ſuis inſtructionibus doceant populum: quis Baptiſmi fructus, quæ benè vivendi ex eo naſcatur obligatio. Ingerant illis ſæpè illud Ambroſii (2). Recognoſce quid interrogatus ſis: renuntiaſti *diabolo & operibus ejus*, mundo & luxuriis ejus ac *voluptatibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis* (3). *

(1) S. Leo Serm. 1. de Nat. Dom.
(2) Conſt. Caſtor. 1668. p. 9.
(3) L. 1. de Sacr. c. 2.
* Hic textus à D. Caſtorienſi laudatus ſic jacet apud Ambroſium: » Quando te interrogavit: abrenuntias diabolo & operibus ejus, quid reſpondiſti? abrenuntio. Abrenuntias ſæculo & voluptatibus ejus, quid reſpondiſti? abrenuntio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.

De Sacramento Confirmationis.

I.

Cùm ſit de neceſſitate præcepti recipere Sacramentum Confirmationis, hortatur hæc ſancta Synodus Parochos aut illorum vices gerentes, ut Fideles doceant, quanta divini Spiritus abundantia & robur in Sacramento Confirmationis conferatur, ne, ignoratâ hujus Sacramenti utilitate, illud ſuſcipere negligant; quod quidem omninò periculoſum eſſet. Nam ſicuti in Baptiſmo remiſſio peccatorum recipitur; ita per manuum impoſitionem Spiritus Sanctus Paracletus datur. Illic gratia tribuitur ad remiſſionem peccatorum; hîc gratia datur ad Confirmationem & pugnam. Quid enim prodeſt, ſi lapſu erigeris, niſi ad ſtandum confirmeris. Propterea timendum eſt his qui, amiſsâ per negligentiam præſentis Epiſcopi occaſione, non ſuſcipiunt Confirmationis Sacramentum, ne fortè propterea damnentur. (1)

II.

Præſcribit Rituale Romanum, & plurimas ob cauſas neceſſarium videtur, ut & nomina Confirmatorum in regiſtro inſcribantur. Hinc præcipit ſancta Synodus ut idem obſervetur quod ſuprà memoratum eſt ad Canonem ſecundum de Baptiſmo. Adjungant quoque Paſtores nomina familiæ Confirmatorum; item Patrini, Matrinæ; præterea nomen Epiſcopi confirmantis, tempus & locum Confirmationis, cum atteſtatione vel ſubſcriptione ſui nominis.

Formula Confirmationis.

Die... menſis... in Feſto.... in Eccleſiâ.... confirmati ſunt ab illuſtriſſimo N. Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, hi ſequentes N. N. quod atteſtor. N. N.

(1) Conſtit. Caſtor. 1668. p. 9.

De ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento.

I.

Sacerdotes qui ſæpiſſimè tremendum offerunt Euchariſtiæ Sacrificium, recordentur hæc verba : *Sanctificamini qui fertis vaſa Domini* (1). Et iterùm : *Sacerdotes incenſum Domini & panes Dei ſui offerunt. Ideo Sancti erunt ... Sint ergò Sancti quia ego Sanctus ſum Dominus qui ſanctifico eos* (2). Si ergò tantam ſanctitatem requirebat Deus à Sacerdotibus & Levitis veteris Teſtamenti, qui tam *infirma & egena elementa* (3) tractabant vel offerebant ; quanto major ſanctitas requiritur à Sacerdotibus novi Teſtamenti, qui corpus & Sanguinem Domini offerunt, ſumunt & dant Fidelibus. Hinc illud Sancti Chryſoſtomi : Neceſſe eſt Sacerdotem *ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis Cœlis collocaretur, inter cœleſtes illas virtutes medius ſtaret* (4).

II.

Paſtores & vice-Paſtores non tantum exemplo oſtendant ſanctitatem ad ſanctè percipiendum Euchariſtiæ Sacramentum ; verum etiam inſtruant populum, ut quo magis ſanctitas & divinitas Sacrificii & Sacramenti ſibi comperta eſt, eò diligentiùs caveat, ne abſque magnâ ſanctitate & reverentiâ ad illud accedat. Contremiſcat ad hæc Apoſtoli verba : *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini* (5). Moneatur itaque populus ne imitetur eos qui attentâ magis Feſtorum ſolemnitate quàm

(1) Levit. c. 21. 6.
(2) Ibid. v. 8.
(3) Gal. 4. 9.
(4) S. Chryſoſt. l. 3. de Sacerdotio, cap. 4.
(5) 1. Cor. 11. 29.

Digitized by Google

animi puritate, ſumunt corpus Domini; neſcientes panem angelicum eſſe ſtipendium vitæ angelicæ. Sciat inſuper quæ ſigna ſint Communionis benè aut malè perceptæ. Qui benè manducat, manet in Chriſto, ambulat conſtanter ſicut ipſe ambulavit. Hæc noverit ut aliquatenùs judicare valeat, an panem vitæ acceperit ad vitam. *

De Sacrificio Miſſæ.

I.

Tantæ eſſe debent Sacerdotes vitæ puritatis, ut toties celebrare poſſint, quoties illud Populi devotio aut neceſſitas poſtulare videtur. Quando autem ſeipſos probabunt num idonei ſint ut pro Populo *offerant dona & Sacrificia* (1), non reſpiciant tantummodo ad *confeſſionis folia* (2), ſed an imitentur quod tractant, & ita Dominicæ Paſſionis memoriam celebrent & annuntient, ut membra ſua ab omnibus vitiis mortificare procurent. Quod ſi iſtam Domini mortis æmulam in ſe non invenerint mortificationem, timeant ne de illorum numero ſint quos dicit S. Cyprianus : ſtipes & oblationes & lucra deſiderare; nec tam Religioni quàm ventri & quæſtui profanâ cupiditate ſervire (3).

II.

Nobis conſentaneum videtur Eccleſiæ intentioni, ut in elevatione corporis & ſanguinis Jeſu-Chriſti & poſt, uſque dum cantatur *Pater noſter*, ſileant organa & omnis cantus; ſed ſilenter quiſque, flexis genibus, paſſionis & mortis Chriſti

* Conſtit. Caſtor. 1668. p. 10. 11.
(1) Heb. 5. 1.
(2) S. Greg. Magn. l. 6. c. 2. in 1. Regum, cap. 15.
(3) Conſt. Caſtor. 1668. p. 16.

commemorationem faciat, ac Redemptori gratias agat pro beneficiis per mortem ipſius largiſſimè acquiſitis.

III.

Jam à longo tempore tam à Conciliis quam à Præſulibus hujus Eccleſiæ prohibitum eſt Sacerdoti, ne bis in die celebret. Quapropter ſancta hæc Synodus de novo præcipit ut nemo bis in die celebret, niſi in graviſſimis & urgentiſſimis caſibus. Et ſi tempus ſit adeundi vel ſcribendi ad Ordinarium, exponat ei cauſas ob quas exiſtimat ſibi neceſſariam eſſe diſpenſationem, ut de hac gravitate poſſit Ordinarius judicare.

IV.

Deſiderat ſancta Synodus, ut deinceps SS. Altaris Sacramentum rariùs exponatur publicè, exceptis SS. Corporis Chriſti feſtivitate & ejus Octavâ; necnon cum laudes ſingulariter inſtituentur in honorem & adorationem Jeſu-Chriſti in hoc ſanctiſſimo Altaris Sacramento.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I.

Cùm hiſce miſerrimis temporibus multi amatores ſint viæ ſpatioſæ quæ ducit ad perditionem, & ſectentur principia laxiorum Caſuiſtarum; ſancta hæc Synodus omnes Paſtores & Confeſſarios hortatur in Domino, atque eis præcipit, ut in abſolvendis aut ligandis peccatoribus, magis attendant ad Evangelii leges quàm ad Caſuiſtarum corruptas opiniones, quarum non paucas SS. Alexander Papa VII damnavit: nec ſtudeant Evangelii rectitudinem ad curvas hominum cupiditates inflectere; ſed toto corde nitantur, ut diſtortas voluntates ad divinæ legis inflexibilem dirigant æquitatem. Habeant

Digitized by Google

etiam inſtructionem ad Confeſſarios quam ſanctiſſimus & ſapientiſſimus Carolus Borromæus in eorum uſum compoſuit: hancque volumus diligentiſſimè legi & diſci ab omnibus, ut juxta ſanctiſſimi viri doctrinam ſolvant aut ligent. (1)

I I.

Sciunt Confeſſarii jam à principio mutatæ Religionis in hac Patriâ, non eſſe caſus Epiſcopo reſervatos. Meminerint tamen moniti piæ memoriæ Præſulis Rovenii his verbis loquentis: » Monemus Confeſſarios, ne temerè quibuſvis abſolutio-
» nis munus impendant, & quamvis, pro hoc tempore, nul-
» la, quantumvis enormia peccata, nobis reſervemus, memi-
» nerint tamen Confeſſarii in gravioribus iſtis ſubinde ad nos
» recurrere vel peritiores conſulere ». (2)

De Extremæ-Unctionis Sacramento.

I.

Cùm Fideles nullo tempore majore ac frequentiore adjutorio & miniſterio Sacerdotum indigeant quàm tempore infirmitatis, hortatur Paſtores hæc ſancta Synodus eiſque præcipit, ut omnes infirmos frequenter viſitent, & ſalutis eorum curam habeant, ut tempeſtivè Sacramentis Eccleſiæ muniantur. (3)

I I.

Piæ memoriæ Epiſcopus noſter Neercaſſelius obſervat, nonnullos Fideles refugere Sacramentum Extremæ-Unctionis, quia ſibi perſuaſerunt quaſi hoc Sacramentum redderet morbum immedicabilem, certamque perniciem afferret: meritò-

(1) Conſt. Caſtor. 1668. p. 21. 22.
(2) Conſt. Caſtor. p. 23.
(3) *Ibid.* p. 26.

Digitized by Google

que declarat hanc opinionem eſſe fidei adverſam. Quapropter monet hæc ſancta Synodus Paſtores, ne talibus in caſibus nimis ſe indulgentes oſtendant, falſamque illam opinionem nutriant. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, ſi ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo ungatur. Quare Parochis invigilandum eſt, ut eo potiſſimùm tempore cœleſtem medicinam adhibeant.

III.

Cùm aliquis ex Parochianis obierit, præcipit hic ſacer Conventus ut Paſtores annotent in regiſtro ejus nomen, annum & diem obitus, & omnia obſervent eodem modo quo ſuprà in Baptiſmi ſecundo Canone dictum eſt.

De Sacramento Ordinis.

I.

Qui ad majores Ordines evocantur, ſuo tempore ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat ut nominibus eorum publicè in Eccleſiâ propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vitâ, à viris fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimùm tranſmittat. Archidiaconus in ſingulis majoribus Ordinationibus ad omnes de Diœceſi Archipresbiteros, Archipresbiter verò ad omnes Paſtores in ſchedulis mittat nomina Ordinandorum, ut pro illis oretur.

II.

II.

Ad uberiorem Seminarii inſtructionem adoptat ſacer Conventus (ſervatis ſervandis) regulas domus SS. Willibrordi & Bonifacii, quas celeberrimus piæ memoriæ Præſul noſter Neercaſſelius edidit, & quarto Octobris anni 1683 Cathedrale Capitulum (Ultrajectenſe) adoptavit.

De Sacramento Matrimonii.

I.

Declarat hæc ſancta Synodus ſe, ſine ullâ hæſitatione, ſaltem in ratione contractûs, omninò pro validis habere matrimonia ſecundum leges hujus Patriæ contracta inter Acatholicos; necnon illa matrimonia quæ contrahuntur inter Catholicos & Acatholicos, licet forma à Tridentino Concilio præſcripta non fuerit in iis celebrandis ſervata.

II.

Cùm equidem multùm abſit ut licita credat Synodus matrimonia illa inter Catholicos & Acatholicos contracta (quæ matrimonia ipſis etiam Magiſtratibus inviſa ſunt) (1); injungit hic ſacer Conventus Curatoribus animarum, ut, meliori quo poterint modo, inducant conjugem Catholicum, ſive virum, ſive fæminam, ut pro graviſſimo ſcelere quod commiſit pœnitentiam agat, ac veniam à Deo deprecetur.

Porrò ad uberiorem Fidelium inſtructionem, & ne hæc definitio quibuſdam ut minus tuta videatur, cenſuit ſancta

(1) In partibus Hollandiæ hæc matrimonia contrahi non poſſunt niſi tranſactis octodecim hebdomadis; & eorum proclamatio fieri debet ſextâ quâque hebdomadâ.

Dd

Synodus huic ſuæ definitioni adjungendam eſſe declarationem quam circa hanc materiam edidit quarto Novembris 1741 piæ memoriæ Summus Pontifex Benedictus XIV quæ ſic habet.

DECLARATIO

S. S. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI P.P. XIV.

CUM Inſtructione ſuper dubiis reſpicientibus matrimonia in Hollandiâ & Belgio contracta, & contrahenda, edita die quarta Novembris anni 1741.

MATRIMONIA, quæ in locis fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio ſubjectis iniri ſolent, ſive inter H. ex utraque parte, ſive inter H. ex unâ parte virum, & catholicam fæminam ex aliâ, aut vice verſâ, non ſervatâ formâ à ſacro Tridentino Concilio præſcriptâ, utrum valida habenda ſint, necne, diu multumque diſceptatum eſt, animis hominum ac ſententiis in diverſa diſtractis. Id quod ſatis uberem anxietatis ac periculorum ſementem per multos annos ſubminiſtravit, cùm præſertim Epiſcopi, Parochi, atque illarum regionum Miſſionarii nihil certi hac ſuper re haberent, nihil verò inconſultâ ſanctâ Sede auderent ſtatuere ac declarare. Cùm autem proximè evolutis annis, in tam ancipiti gravique cauſâ Apoſtolicæ Sedis judicium vehementiùs expoſceretur, urgeretque ad id imprimis vigilantiſſimus Iprenſis Epiſcopus, dùm pro debito officii ſui, & ſua erga B. Petri Cathedram obſervantiâ de Eccleſiæ ſibi concreditæ ſtatu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omninò eſſe tam prolixæ dubitationi finem, graviſſimis verbis ac rationibus perſuaderet; Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem quanti oportebat, æſtimaret, ſacræ Congregationi Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in mandatis dedit, ut de totâ controverſiâ diligenter more ſuo cognoſceret. In re itaque tanti momenti volens eadem ſacra Con-

gregatio quam accuratiſſimè procedere, commiſſæ ſibi cognitionis initium ab exquiſitis aliorum quoque Belgii Epiſcoporum relationibus atque ſententiis, quas deſuper explorari ſategit, petendum duxit: eodemque tempore audire voluit præſtantes aliquot hujus almæ urbis Theologos quibus injunxit, ut rem totam eâ quâ decet maturitate diſcuterent, ſuamque opinionem proferrent.

At dùm hæc maximè agerentur, ſuper ſedendum per aliquot menſes fuit ab iſtius modi cauſæ expeditione, propter viduitatem quæ intercidit Romanæ Eccleſiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus, Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. inter primas regiminis ſui curas, cauſæ hujus cognitionem repeti juſſit à memoratâ ſacrâ Congregatione Concilii, quam voluit coram ſe haberi, ut auditis Eminentiſſimorum Patrum ſententiis, ipſe demum quid hâc in re tenendum foret, ſupremo ſuo pronuntiaret oraculo. Cùm igitur Congregatio præfata ſub diem 13 Maii currentis anni 1741. coram Sanctitate ſuâ fuerit habita, idem Sanctiſſimus D. N. ſpatio aliquo temporis ad rem ſecum expendendam accepto, hanc nuper declarationem, & inſtructionem exarari præcepit, quâ, veluti certâ regulâ ac normâ omnes Belgii Antiſtites, Parochi, earumque regionum Miſſionarii, & Vicarii Apoſtolici deinceps in hujuſmodi negotiis uti debeant.

Primò ſcilicet, quod attinet ad matrimonia ab H. inter ſe in locis fœderatorum Ordinum Dominio ſubjectis celebrata, non ſervatâ formâ per Tridentinum præſcripta, licet Sanctitas ſua non ignoret aliàs in caſibus quibuſdam particularibus & attentis tunc expoſitis circumſtantiis, ſacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate reſpondiſſe; æquè tamen compertum habens, nihil adhuc generatim & universè ſuper ejuſmodi matrimoniis fuiſſe ab Apoſtolica Sede definitum, & alioquin oportere omninò ad conſulendum univerſis Fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda graviſſima incommoda, quid generaliter de hiſce matrimoniis ſentiendum ſit declarare: negotio maturè perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit, ſtatuitque, matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter H. uſque modo contracta, quæque impoſterum contrahentur, etiamſi forma à Tridentino præſcripta non fuerit in iis celebrandis ſervata, dummodò aliud non obſtiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda eſſe. Adeoque ſi contingat, utrumque conjugem ad

Digitized by Google

Catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere, eodem, quo antea, conjugii vinculo ipſos omninò teneri, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; ſin autem unus tantum ex conjugibus, ſive maſculus, ſive fœmina convertatur, neutrum poſſe, quandiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.

Quod verò ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem fœderatis Belgii Provinciis, abſque formâ Tridentino ſtatuta, contrahuntur à Catholicis cum H., ſive Catholicus vir H. fœminam in matrimonium ducat, ſive Catholica fœmina H. viro nubat; dolens imprimis quammaximè Sanctitas ſua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati, ab hiſce deteſtabilibus connubiis, quæ S. Mater Eccleſia perpetuò damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsùs ſibi abſtinendum non ducunt; laudanſque magnoperè zelum illorum Antiſtitum qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis, Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſeſe H. conjungant: Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios & alios quoſcumque Dei, & Eccleſiæ fideles Miniſtros in his partibus degentes, ſeriò, graviterque hortatur & monet, ut Catholicos utriuſque ſexûs; ab hujuſmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire ſatagant.

At ſi fortè aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini formâ non ſervatâ, ibidem contractum jam ſit, aut impoſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas ſua, matrimonium hujuſmodi, alio non currente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe, ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ, novum matrimonium inire; id verò debere ſibi potiſſimè in animum inducere conjugem catholicum, ſive virum, ſive fœminam, ut pro graviſſimo ſcelere quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem à verâ fide deerrantem ad gremium catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari, quod porrò ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cætero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius matrimonii vinculo perpetuò ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas ſua, ut quidquid hactenus ſancitum dic-

tumque eſt de matrimoniis, ſive ab H. inter ſe, ſive inter Catholicos & H. initis, in locis fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio ſubjectis, ſancitum, dictumque intelligatur etiam de ſimilibus matrimoniis extra fines Dominii eorumdem fœderatorum Ordinum contractis ab iis qui addicti ſunt Legionibus, ſeu Militaribus copiis, quæ ab iiſdem fœderatis Ordinibus tranſmitti ſolent ad cuſtodiendas muniendaſque arces conterminas, vulgò dictas *di Barriera*, ita quidem, ut matrimonia ibi præter Tridentini formam, ſive inter H. utrinque, ſive inter Catholicos & H. inita, valorem ſuum obtineant, dummodò uterque conjux ad eaſdem copias ſive Legiones pertineat; & hanc declarationem vult Sanctitas ſua complecti etiam civitatem Moſætrajectenſis à Republica fœderatorum ordinum, quamvis non jure Dominii, ſed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine poſſeſſam.

Tandem circa conjugia quæ contrahuntur vel in regionibus Principum Catholicorum ab iis qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas ſua de novo decernendum aut declarandum eſſe duxit, volens ut de iis juxta canonica juris communis principia, probataſque in ſimilibus caſibus aliàs editas à ſacrâ Congregatione Concilii reſolutiones, ubi diſputatio contingat, decidatur; & ita declaravit ſtatuitque, ac omnibus impoſterum ſervari præcepit. Die 4 Novembris 1741.

A. Card. GENTILI, S. Congreg. Concilii Præf.
C. A. Archi. Philippen. Secret.

III.

Cùm Supremi hujus Reipublicæ Moderatores nullos declarent contractus matrimoniales inter Catholicos, ſi non ineantur coram Magiſtratu, atque ita plurimæ difficultates ſint, & oboriri poſſint, ſi Paſtores ante peractum contractum civilem coram Magiſtratu adminiſtrent Sacramentum Matrimonii: inhibet hic ſacer Conventus omnibus Paſtoribus dare alicui benedictionem matrimonialem, niſi poſt peractum, ſecundum Leges Patriæ, contractum.

IV.

Præcipit etiam ſancta Synodus, ut Paſtores omni curâ ac diligentiâ annotent nomina & cognomina eorum quibus benedictionem nuptialem adminiſtraverint; idque in regiſtro ad hoc deſtinato; catalogumque quotannis exhibeant ſuo Epiſcopo, ut ſuprà dictum eſt de regiſtro baptiſmali Can. 2.

Formula Matrimonii.

Die ... menſis ... anni ... matrimonio juncti ſunt N.N. præſentibus teſtibus N.N. à me N.N. Parocho, &c.

D. Procurator petiit: *Placet-ne ut Decreta Synodi promulgentur?*
Reſponderunt omnes: *placet.*

DD. Archiepiſcopus Præſes dixit: *Prælegantur Decreta Synodi.*

His prælectis, DD. Archiepiſcopus Præſes, dixit:

Placet-ne vobis, ad Dei gloriam & honorem & Catholicæ Eccleſiæ amplificationem, Decreta hujus Synodi Provinciæ Ultrajectenſis vobis prælecta approbari, & Concilium ipſum finiri & concludi?
Reſponderunt omnes: *placet.*

Subſcriptiones Patrum ſanctæ Synodi.

† Ego Petrus-Joannes, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, Præſes, omnibus ſupra ſcriptis Decretis circa fidem, mores & diſciplinam, judicans ſubſcripſi.

† Ego Joannes, Epiſcopus Harlemenſis, judicans ſubſcripſi.

† Ego Bartholomæus-Joannes, Epiſcopus Daventrienſis, judicans ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Meganck, Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectenſis Decanus, judicans ſubſcripſi.

Ego Nicolaus de Wolff, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, judicans ſubſcripſi.

Ego Sibrandus Faber, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus & Archidiaconus, judicans ſubſcripſi.

Ego Wynandus-Bonifacius Van Sonsbeek, Canonicus, judicans ſubſcripſi.

Ego Henricus-Joſephus Van Zeller, Canonicus, judicans ſubſcripſi.

Ego Gerardus Kenens, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, judicans ſubſcripſi.

Ego Franciſcus de Haan, Paſtor ad Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum Rotterodami, Deputatus ex Archipresbiteratu Schielandiæ, judicans ſubſcripſi.

Ego Wilhelmus Van Vianen, Paſtor ad Sanctum Pancratium Enkhuſæ, Deputatus è Clero Harlemenſi, judicans ſubſcripſi.

Ego Antonius Van Werckhoven, Paſtor ad Sanctum Willibrordum Goudæ, Deputatus ex Archipresbiteratu Schielandiæ, judicans ſubſcripſi.

Ego Joannes Hoddé, Paſtor Amſtelodami, Deputatus è Clero Harlemenſi, judicans ſubſcripſi.

Ego Joannes-Henricus Van Binkom, Paſtor ad Sanctum Gummarum Enkhuſæ, Deputatus Cleri Harlemenſis, judicans ſubſcripſi.

Ego Joannes-Baptiſta-Eugenius Gyſelinck, Paſtor ad S. Vitum in Hilverſum, Deputatus ex Archipresbiteratu Ultrajectino, judicans ſubſcripſi.

Ego Wynandus-Joannes Brons, Paſtor Amisfurti, Deputatus ex Archipresbiteratu Ultrajectino, judicans ſubſcripſi.

Ego Andreas Schravelaar, Paſtor ad Sanctum Bonifacium

in Ryſwyk, Deputatus ex Archipresbiteratibus Rhenolandiæ & Delphlandiæ, judicans ſubſcripſi.

Ego Arnoldus Van Schendel, Paſtor ad Sanctam Mariam minorem Ultrajecti, Deputatus ex Archipresbiteratu Ultrajectino, judicans ſubſcripſi.

De mandato ſanctæ Synodi,

NICOLAUS VAN MAEREN, Paſtor ad Sanctum Jacobum Ultrajecti, Secretarius Synodi.

HENRICUS MILIUS, Paſtor ad Sanctum Joſephum Amſtelodami, Secretarius Synodi.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA
SYNODI PROVINCIALIS
ULTRAJECTENSIS,
AD SUMMUM PONTIFICEM.

S. S. DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XIII,
PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

CUM unaquæque teneatur Eccleſia, ſecundùm voluntatem Dei, miniſterii partem tueri & implere ſibi commiſſam à Chriſto Capite & Salvatore noſtro, qui promiſit ſe futurum eſſe nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi; debeatque etiam intra ſuæ Juriſdictionis fines, catholicam fidem, evangelicam morum doctrinam, pretioſum externæ Communionis vinculum, in quâ unâ eſt ſalus, ac neceſſarias eccleſiaſticæ Diſciplinæ leges religiosè conſervare; Eccleſia Batava ab Illuſtriſſimo Ultrajectenſi Archiepiſcopo canonicè congregata eſt, ut eâ fidelitate, quâ ſemper quantum potuit, & per tempora licitum fuit, muneris ſui partes adimpleret. Synodalibus ſuis Decretis, omni quâ par fuit maturitate prolatis, ſacrum illud fidei & morum depoſitum præſtitit tutum ab exundante errorum flumine in omnes Eccleſiæ partes undequaque ſuperfuſo; quod quidem à Populo fidei noſtræ commiſſo,

Digitized by Google

arcere nunquam poſſemus, niſi tot tantaque mala, firmiſſimis aggeribus oppoſitis, juxta uſitatas omnium ſæculorum formulas amoliremur.

Dignetur SANCTITAS VESTRA, BEATISSIME PATER, totius Orbis chriſtiani tùm bonis tùm malis medullitùs commota, ut par eſt eum affici qui viſibile Eccleſiæ catholicæ Caput eſt; dignetur, inquimus, eâ benignitate immensâque caritate, quâ ei à Chriſto mandatur *confirmare fratres ſuos in fide*, hujus Synodi in Spiritu Sancto congregatæ accipere acta fidelia. Dignetur Beatitudo Veſtra, cui totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, omnibus coram Deo ritè perpenſis, eadem Primatûs veſtri auctoritate & poteſtate confirmare & ſtabilire.

Hæc acta perlegendo facilè intelliget SANCTITAS VESTRA, quàm ſedulò, tantis urgentibus periculis ſumpſerimus ſcutum fidei; ad tot tantaſque veritates propugnandas, & ſpeciatim divinam hanc inſtitutionem quâ Primatus Apoſtolicus ad uſque veſtram Sanctitatem pervenit, quique, qualis & quantus in Sancto Petro, in Beatitudine veſtrâ tam excellenti gratiâ præeminet.

His conſideratis, confidimus & ſperamus veſtram Sanctitatem, auctoritate cui adhæſimus ſemperque adhærebimus, quam tuemur ſemperque tuebimur, abſque ullâ hæſitatione confirmaturam quæ in Domino ſecundum Eccleſiarum noſtrarum firmam certamque Traditionem ſtatuimus; ſive contra novos errores ab alienigenâ in noſtram Patriam irrepentes, quibus non damnatis dubia facta fuiſſet noſtra in catholicâ fide integritas; ſive contra jam pluries à Sancta Sede Apoſtolicâ atque in pluribus Eccleſiis damnatos *Harduini & Berruyerii* errores, fidem totamque Religionem ſubvertentes; ſeu denique contra laxiorum Caſuiſtarum multitudinem, quos non immeritò ſuſpicamur in perniciem animarum conjuraſſe.

Liceat nos etiam nunc in Synodo congregatos & concordibus animis ad veſtræ Beatitudinis pedes provolutos, SANCTISSIME PATER, deprecari vos, ut tandem Clero tam fideliter tamque religiosè Sancti Petri Cathedræ omnibuſque Catholicis dogmatibus adhærenti, hujus veſtræ benignitatis ſigna demonſtretis, quam confidimus & ſcimus vos in corde paterno geſtare; ſicut fraternæ caritatis teſtimonia omni

ætate à florentiſſimis Eccleſiæ catholicæ partibus; opitulante Deo, accepimus; ut denique veſtram impertiamini nobis Apoſtolicam Benedictionem, quam humiliter ac impenſiſſimè poſtulamus. Omni quâ par eſt animi reverentiâ permanemus,

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimi Famuli & obſequentiſſimi Filii,

† PETRUS-JOANNES, Archiepiſcopus Ultrajectenſis, Præſes.

De mandato Synodi,

NICOLAUS VAN MAEREN, Paſtor ad S. Jacobum Ultrajecti, Secretarius Synodi.

HENRICUS MILIUS, Paſtor ad S. Joſephum Amſtelodami, Secretarius Synodi.

Datum Ultrajecti die 21 Septembris 1763.

FINIS.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

PAG. 2. *lin.* 26. *lege* : animo præſentiens.
P. 6. *l.* 17. *leg.* ut.
Ibid. l. 33. *leg.* ſapientiſſimis Decretis.
P. 12. *l.* 7. *leg.* arguere * & intra tit. 1. 9.
P. 15. *l.* 16. *dele* (2) & *l.* 18. *dele* (3) *l.* 18. *poſt* adducat *pone* (2) & *poſt* diviſum *repone* (3).
P. 24. *l.* 23. *leg.* contingit ut.
P. 28. *l.* 8. & 9. *leg. ad ſaniorem doctrinam inducti.*
Ibid. l. 10. *leg. ſanam.*
P. 29. *l.* 21. & 22. *leg. diliges Dominum Deum tuum* &c.
P. 31. *l.* 18. *leg.* conjugalis.
P. 34. *l.* 4. *leg.* reos non eſſe.
P. 36. *l.* 10. *fuerint leg.* fuerunt.
Ibid. l. 11. *leg.* ita futuros in nobis Doctores.
Ibid. l. 19. *leg. Paſtores &.*
Ibid. l. 28. *poſt* 1. Tim. 6. 3. *leg.* 2. Tim. 4. 14.
P. 37. *l.* 31. *leg.* ſcandalorum.
Ibid. qui *leg.* quæ.
Ibid. l. 34. *dele* 2. Tim. IV. 14.
P. 44. *l.* 24. *leg.* conſenſione.
Ibid. l. 29. *leg.* præmunirentur.
P. 69. *l.* 11. *leg.* Antiochenæ.
Ibid. l. 18. *leg.* Denuntiatoris.
P. 72. *l.* 22. *leg.* ſucceſſori.
P. 80. *l.* 15. & 16. *in ſuos Collegas* &c. *leg. in ſuos Confratres pluſquàm in Eccleſias particulares.*
P. 84. *l.* 24. ead. corr.
P. 88. *l.* 34. *leg.* certiſſimas.
P. 93. *l.* 29. *leg.* Boſſuet tom. 3. p. 671. 672.
P. 106. *l.* 7. *leg. Epiſcopi.*
P. 115. *l.* 42. *leg.* contenir.
P. 121. *l.* 10. *leg.* intelligitis : *Pſeudodoctores.*
P. 133. *l.* 20. *leg. formâ* ac naturâ *Dei.*
Ibid. l. 21. *leg. formam* ac naturam *ſervi.*
P. 134. *l.* 12. *lege, ego* (5). Sola.
P. 137. *l.* 27. *leg. in* nobis.
P. 141. l. 5. *leg. inſtitutione.*
P. 148. *l.* 26. quorum. *leg.* quarum.
P. 155. *l.* 14. & 15. & voluntas : *leg.* quo voluntas.
P. 159. *l.* 37. *leg.* inſtituerat.
P. 161. *l.* 33. & 34. *leg. maximam* ad.
P. 164. l. 33. *leg. imperata* ;
P. 175. *l.* 15. quæ *leg.* quas.
P. 194. *l.* 35. *leg.* tolerato,
P. 200. *l.* 1. *leg.* ſeditioſas, legi & ordinationi Dei æternæ, ordini.
Ibid. l. 15. *doctrinam leg.* fidem.
P. 201. *l.* 20. ſuumque *leg.* eorumque (baptiſatorum &c.)
P. 203. *l.* 21. ad Canonem II. *leg.* in Canone II.
P. 228. *l.* 25. *leg.* Archipresbiteri.
Ibid. l. 26. *leg.* mittant.

Digitized by Google

ALIA MENDA CORRIGENDA.

P*Ag*. 15. *l.* 3. ab infra, & leg. *ex.*
p. 16. *l.* 18. *Patris*, leg. *Patri.*
p. 23. *l.* 12. ab infra, *videmus*, leg. *videmur.*
p. 52. *l.* 14. *Cathedram* adde *Epiſcopalem.*
p. 61. *col.* 1. Prop. II. *leg.* initio hujus Propoſitionis ultimum membrum periodi. (*Item. p.* 65. *col.* 1° Prop. II.)
p. 62. *col.* 1. *l.* 12. leg. *les Evêques de Rome*...*ont.*
p. 63. *col.* 1. *l.* 1. leg. *Je trouve que s'ils (les Grecs.)*
Ibid. l. 4. *trouve*, leg. *trouverai.*
p. 66. *l.* 2. ab infrà, *Eccleſiæ*, adda *Catholicæ.*
p. 68. *l.* 3. *qui*, adde *tantùm. Ibid.* in citatione 4ª. leg. *Précis*, &c. *p.* 97. 95.
p. 69. *l. ultimâ*, leg. *Précis. p.* 31. 34. 97. 105.
p. 78. *col.* 1. *l.* 3. leg. *S. Pierre* . . . . *on.* (*Item. p.* 82. *col.* 1. *l.* 3.)
p. 79. *col.* 1. *l.* 11. leg. *Rome* . . . . *il y a.* (*Item. p.* 83. *col.* 1. *l.* 23.)
Ibid. col. 1. *l.* 14. ab infrà, *pas*, leg. *point.*
p. 80. *col.* 1. *l.* 38. leg. *la même maniere.*
p. 81, *col.* 1. *l.* 3. leg. *regnante* . . . . *d'où.*
p. 82. *col.* 2. *l.* 5. *quæ ſint*, leg. *quæ ſunt.*
p. 83. *col.* 1. *l.* 3. ab infrà, *pas*, lag. *point.*
p. 95. *col.* 1. *l.* 12. *faudroit*, leg. *fallut.*
p. 98. *l.* 17. leg. *ab univerſâ Eccleſia.*
p. 102. *col.* 1. *l.* 7. *ſolemnelles*, leg. *formelles.* (*Item. p.* 105. *col.* 1. *lin. ult.*) *Ibid. col.* 2. *l.* 5. *ſolemnium*, leg. *formalium.* (*Item. p.* 103. *col.* 2. *lin. pénult.*)
p. 103. *col.* 2. *l.* 13. *anxietate*, adde *angore.* (*Item. p.* 104. *col.* 2. *l.* 7. *ab infrà.*)
p. 110. *col.* 1. *l.* 7. lag. *Sacerdoce* . . . . *n'a.*
p. 111. *col.* 1. *l.* 19. leg. *J. C.* . . . . *a défendu expreſſément qu'il y eût* . . . . . (*Item. p.* 112. *col.* 1. *Prop. IV.*)
p. 115 & 116. *col.* 1. (*révelées*) dela parenteſim. (*Item. col.* 2. *l.* ult. (*revelatas.*)
p. 116. in citatione Seſſ. XXV. adde *de Reform.* (*Item. p.* 117.)
p. 123. *l.* 26. *querulis*, leg. *querelis.*
p. 128. in citat. ult. *Coloſſ.* 1. 3. leg. *Coloſſ.* 1. 13.
p. 132. in citat. *Rom. VI.* 33. leg. *Rom. VI.* 23.
p. 133. in citat. (5ª) *Joan.* 14. leg. 1. 14.
p. 139. *l.* 9. ab infra, *hæc*, leg. *ex.*
p. 141. *l.* 13. *æffrenam*, leg. *effrenam.*
p. 142. *l.* 3. ab infrà, 3. *Julii*, adde 1760.
p. 149. *l.* 5. ab infrà, 1758, leg. 1658.
p. 151. *l.* 18. *quod*, leg. *quem.*
p. 155. *l.* 31. *Nonne*, leg. *non.*
p. 155. *l.* ult. *ædificata?* leg. *ædificata.*
p. 162. *col.* 1. *l.* 19. *bat*, leg. *bad.* Ibid. *l.* 3. ab infrà, *dat'v*, leg. *datter.*
p. 163. *l.* 8. ab infrà. *Vorden*, leg. *Worden.*
Ibid. *regtraerdigen*, leg. *regtwaerdigen.*
Ibid. *l.* 6. *berow*, leg. *berouw.*
p. 173. *l.* 7. *vorden*, leg. *worden.*
Ibid. *regtraerdigen*, leg. *regtwaerdigen.*
p. 179. *l.* 24. leg. *horrendam permixtionem.*
p. 182. Prop. V, deeſt propoſitio belgica quæ ſic ſe habet: *Niemand en zondigt meer dan zoo veel als hy weet en kent het quaed van de zonde.* (Item. *p.* 188. Prop. V.)
p. 186. in citat. (3ª). *Prov.* 5. 14. leg. XIV. 12.
p. 193. *l.* 2. ab Infrà, *dominationem*, adde *autem.* (Item poſt majeſtatem.)
p. 197. *l.* 6. *caſu*, adde *fideles.*
p. 199. *l.* 13. *bella*, adde &.
p. 200. in citat. (2ª). *dele* 11. Ibid. in citat. (3ª) *Cor.* adde V. *p.* 203. *l.* 11. *lapſu*, leg. *à lapſu.*
p. 212. *l.* 7. *Tridentino*, leg. *à Tridentino.*
p. 213. *l.* 12. ab infrà, *ac omnibus*, leg. *ac ab omnibus.*
p. 215. *l.* 11. ab infrà, *Ego Joannes*, adde, *Petrus.*

Collatione factâ cum originali hujus Exemplaris pag. 219, teſtamur omnibus R. D. Paſtoribus hujus Cleri & cæteris quorum interaſſe poterit, illud cum eo concordare, excaptis Typographiæ mendis ſupra corractis, & quibuſdam aliis nullius momenti. In cujus fidem ſubſcriptionem noſtram & ſigillum Archiepiſcopale huic Exemplari appoſuimus.

Actum Ultrajecti die 15 Junii 1764.

Nicolaus Van Marren, Paſtor ad Sanctum Jacobum Ultrajecti, Secretarius Synodi.

Henricus Milius, Paſtor ad Sanctum Joſephum Amſtelodami, Secretarius Synodi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google
005663864

Digitized by Google